



JESSENIUS — ADVERSUS PESTEM — 1614











JOHANNIS
SSENII
à JESSEN
Adversus Pestem
CONSILIUM.
cum ejusdem de
ITHRIDATIO, & THERIACA DISPUTATIONE.
His annexi
Jani Matthæi Durastantis
E ACETO SCILLINO ATQUE
DE MEDICAMENTIS VALETUDINE
tuendæ, vitæ proprogandæ singularibus,
Tractatus Duo.

NEC NON
COLAI CVRTII *Philos. & Med. libellus utilissimus Anno* 1575. *Patavii propositus*
De Medicamentis lenientibus, præparantibus & purgantibus.



GIESSÆ,
Typis Casparis Chemlini,
M. DC XIV.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY





VIRO GENEROSISSIMO
Equiti perſtrenuo,

DN. BOUSLAO

à MICHALOWITZ, IN SEE-ſtatel & Neudorff: Sacræ Cæſar. Ma-jeſt. Conſiliario, ac Inclyti Regni Boëmiæ Procancellario.

S. D.

JESSENIUS.



UM Boëmiam, Patrone faventiſſime, ante ſeptennium peſtis affictaret; hujus cavendæ, pellendæque cauſa, hocce, poſtulatus, patronis & amicis, typis quidem,

ſed parcius, vulgatum, dedi conſili-
um: quod, interea requiſitũ à pluri-
bus toties, nunc demum in manus
reſumptum, auctius & caſtigatius,
tuo ſub nomine, quo nihil mihi ju-
cundius, ſtatui promulgandum. Ut
enim cætera alia abs te nobis proli-
xè præſtita taceam modò beneficia;
unius certè hîc meminiſſe debeo,
cujus recordatio nunquam excidet
animo. Nam, ubi tunc quoq; meos
attigiſſet iſte Dei digitus, multò
quidem, quam promerueram, le-
nius; me non tantum funeſtam do-
mum, cum amœniſſimo palatio tuo
commutare paſſus; ſed, invitatum
etiam in Carolinas, (quem locum,
ſulphureos propter thermarum ha-
litus, omnium cenſebam, eventu
teſte, tutiſſimũ habitatu) toto illo
autumno tuos inter humaniſſimè
habui-

abuisti, & acceptum. Horum par-
iceps bonorum mea FELSIA, obo-
is pectorisq; ornamenta, ut mihi
ara, sic vobis, cunctisque honorata
œmiua, decessu suo, inconsolabili
uctu id temporis me induit; quo
ortuna benignior dignitate nova
(quod plurimùm lætor) te circum-
dedit. Ergo, ut benè vertant tibi,
tuisq; amplissimi muneris & hono-
ris accessionem, Divos precor: te
autem rogo, velis, pusilla hæc com-
muni utilitati destinata libenter ac-
cipere, ac magno amore tuo, quo
mea soles omnia metiri. V. Da-
bantut Vien. Austriæ. Men-
se Sextili Anno
Ch. 1613.



JOHANNIS JESSENII à JESSEN CONSILIUM ADVERSUS Pestem.



Quanquam non ignorem, complures esse, qui de Pestilentiæ Præservatione Curationeq; sententiam suam in medium attulerint; difficileq; sit invenire, quæ alii non scripserint, toties verò prodita repetere, non nisi superfluum: tamen cum magnæ authoritatis Patroni, intimioris verò consuetudinis Amici quamplurimi, judicium quoq; hac de re meum flagitarint, præsertim imminente hinc discrimine, voluntati ipsorum, unaq; publicæ necessitati lubens parui. Nequaquam autem amplius ego dubito;

Morbum

Morbum, qui passim Urbem pererrat, ac indiscreta sævitie quoscunque attingit, flammæ instar stipulas perurentis, ilico consumit, ex earum familia esse ægritudinum, quas unâ voce dicimus à depascendo Pestilentes. Hic igitur è Communium genere cum sit: à consimili quoque caussa communi originem ducat oportet. Quia verò non homini tantùm, sed animantibus etiam cunctis, nihil in tota natura Aere existit familiarius; quē nimirum indesinenter hauriunt, in eodemq; quasi loco suo locata degunt: non nisi, certè, illius vitio & culpa, adversa hæc, quæ nobis eveniunt, accidere putandum: inprimis cùm multoties tam perniciosum habuerimus compertum, ut non secius peremerit, quàm assumtum quodvis toxicum, aut undecunque etiam petitum venenum. Eum enim, quamvis nativa indole bonum & benignum, nihilominus interdum tetri aquæ terræve vapores ita corrumpunt & inquinant, ut non aliter putreat, quàm phtysicorum graveolens spiritus. Cuius etsi aereæ conspurcationis caussas longiùs & è cœlo derivent Astrologi; Numenque ipsum auto-

autorem faciant, ut calamitatum omnium Theologi: nos tamen causarum examinatione contenti priorum; Utrum Aër hic quicquam pertulerit violentiæ, aut num etiam aliunde sustineat iniuria? paucis perscrutemur. Omne agens non nisi in apto, dispositoq; vim exercere patiente; nil tamen vel admodum languidè operari in retutente, frequentatum est axioma physicum. At par non est cuiusvis Aëris ad patiendum ratio. Quibusdam enim Hippoc. lib. de aëre, aquis, & locis, teste, pro regionum diversitate, magis alius, alius minus Aër est corruptioni obnoxius; ac proinde ad producendas Epidemias pronior, tardiorve. Nunc, regionis huius situm, qui sublimis est, & salubritatis index, exploraturus, Aërem profectò illius deprehensurus est summè incolumem, & adversus externas iniurias potentem. Regni verò Boëmiæ, verè regii insignem extuberantiam, cuivis facilè tot navigabilium fluminum excursus persuadebit; istud verò vel maximè cœli clementiam; quod, non solum errorem in victu incolarum nimium ultrò corrigat & superet; sed etiam, si quid fortè pestilentis ingruat, (quemmodum

admodum necessariò fit in magna hominum colluvie, ubi numerus ægrotantium, nec dum congressum vitantium) non tamen propagando admodum dilatetur; & ut ferociter non serpat, sic nec perduret contumacius; adeo, ut quandoq; etiam posthabitis, aut saltem parcius adhibitis remediis, eoq; tempore ubi maior morbi vis extimescenda fuerat; tota illius moles sponte ferè discussa, collapsaq; sit; vel solo aëris ambientis beneficio, corruptionem aut non admittentis, aut admissam quam citissimè reiectantis. Quam sanè Aëris congenitam præstantiam mirè fovet regionis excelsitas, liberiori, crèbriorique ventorum perflatui, quasi scopis, verrendam offerens. Sed, verebiturne quis auram Pragensem, quam non solum incolæ, & peregrinorum plurimi, feliciter persenserunt; verùm dissitissimi quoque barbari, Mosci, Persæ, Tartari, frequenter innoxiam sunt experti, saluberrimã, temperatissimamq; pronunciare? Imò, cum passim alibi frequentes occurrant, pro natura, aut potius vitio loci, huic, aut illi Endimo morbo obnoxiæ civitates; Urbs hæc, unaq; cæteræ, patrio morbo aliquo nunquam auditæ infames: quod item aëris, a

ris, aquarum, alimentorum præstantiæ, sufficiens præbet testimonium. Sed esto: Aerem nostrum labem contraxisse ascititiam: ergo, vel Aquarum, Terræ, aut etiam ipsius Cœli iniuria contigisse statuendum. Urbem circa palustres, aut stagnantes, quales ob ocium & torporem putredini proximæ, aquæ nullæ: solum flumen. Moltava, apertum, & ne facilè alveo excidat suo, à natura altioribus ripis conclusum, placito cursu, inhabitantium commodo maximo, translabitur: eoque motu ventilatum, uti etiam huius generis aquæ aliæ, non aliter, quàm vinum transvasatione, à corruptela defenditur. Quamobrem Aquæ nequicquam imputandum. Pariter, nec Terra alicuius malignæ, ex sinu, vel superficie, efflationis incusanda videtur. Nam è profundioribus quoties ipsius cuniculis subiti flatus surgunt, & copiosi, vehementer solum concutiunt: cuius tamen, iam dudum, sit laus Deo, non animadversa à nobis trepidatio. Quando autem superficiarii illius attollũtur, aerem contaminantes, halitus, talium adspiratu noxiorum extemplò vicinæ stirpes, & plantarium genus totum, expallescere, defrõ-

dariq;

dariq; occipit, & veluti animalia sensibiliter
egrotare, ac emori, solentq; tam latibula dese-
rere, & in publicum sese intimidè effundere
serpentia, quadrupedia verò omnium primò
cadere. Quorum cum singulariter notabile
aliquod hactenus animadnersum non sit, tan-
tum abest, quicquam culpæ Terræ asscriba-
mus, ut potiùs bonitatem, & fertilitatem il-
lius magnoperè deprædicemus, cuius benefi-
cio annonam valentem habemus, quæ aliàs si
ægrotaret, ob vitiosorum, unde putredines, e-
sculentorũ esum, Aphorismo: POST FAMEM
PESTIS, locũ iam dudum dedisset. Cognitis-
simum enim omnibus est, quanta, Dei cle-
mentia, sit semper, & fuerit, Regni Boëmiæ
tellus Cornucopia quædam omnis generis fru-
gum, animalium, & metallorum, rerum non
incolis solum ad luxum usq; affluentium, sed
exteris quoq; uberè sufficientium: adeò, ut ha-
rum divitiarum nomine cuivis etiã amplissi-
mo solo comparanda. Cæterum, quod attinet,
Cœlũ, cum ibi nil nisi purum, lucidum, perfe-
ctũ, bonumq;, ab eo pestilitatẽ in Aerem spar-
gi, vel etiã quicquã adversi proficisci vehemẽ-
ter pernegãt Peripatetici magno volumine à

 Miran-

Mirandula propugnati. Etsi verò litem hanc meam hic minimè facio, nequaquam tamen multiplici experientiæ, cui sua quoque debetur fides, contradico: quâ multoties observatum, nunquam ferè impunè spectatos in cœlo Cometes; tunc etiam quasdam constellationes annotatas evẽtu infaustissimas; maximè autẽ plena Luminarium, & inprimis Solis deliquia, varias, graves & penè universales attulisse humano generi clades; nec tã, (me quidẽ judice) Positivo, quàm Privativo actionis modo. Sed, Christiani ne ambigent, Deum pertinaciæ succensentem nostræ, pestilia ejaculari fulmina? cum gentiles ipsi, Homerus, Hippocrates, Galenus, & ferè omnes uti morborum omnium, sic pestis potissimum, cui divini aliquid inesse censerunt, autorem Deum statuerint, degeneres corripientem. Sanè testatur sacra historia; Deum Zelum primum mundum diluvio delevisse; Sodomas immisso cælitus igne comedisse; Davidis tempore triduanâ pestilentia septuaginta millia virûm, percussore Angelo, sustulisse; Hiskiam regem pestilenti bubone tetigisse, Et, estné hodie etiam ullum, (uti Amos habet,) quod non Dominus fecerit in civi-

tate

tate malum? Nos, divinæ patientiæ, & datarum vitæ emendãdæ induciarum abusu, quid non promeriti? in quos verissimè cadit dictum Oseæ: Canaan in manu tua stàtera dolosa: Tum illud Psalmi: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: Item, Corrupti sunt & abominabiles facti in studiis suis, & non est, qui faciat bonum, vel unus &c. Nihilominus, tot nostra delicta, unica superat divina gratia; quâ ut cætera habemus non admodum incommoda, ita salubri adhuc perfruimur aura. Id quod testatum abundè mihi fecerunt, aliquot vicibus, nocturno aëri exposita ea, quæ ad putredinem promptissima; qualis panis recens cocti medulla; lac itidem; & testa exemtus ovi vitellus: quæ ne levissimum quidem dederunt festinæ corruptionis indicium. Et postea quod me confirmat magis: perstant nobiscum retentis domunculis, aëris incolæ, aves, quæ aliàs, omnium primæ fuerant migraturæ; aut saltem, incuriæ pœnas delapsu daturæ. Denique, satis superq; Aër ipse integritatem suam demonstrat; dum fœtoris, cuiusvis putredinis comitis, expers, clarum atque lucidum sese offert spectandum: qui, si crassus foret, nubilusq; non

ſtellarum nobis tantum negaret aſpectum, ſedinſuper quoque Luminum: quæ tamen quotidie ferè, & ne aeris quidem coronata, in impediti orientia cernimus, occūbentiaq;.

Aeris itaque, (uti opinor) ſufficienter oſtenſa munditie; nil reſtat, quam ut vel Contagione, vel interno exortu, vel etiam utriusq; concurſu graſſatur Epidemia, quod morbi, tota ſubſtantia, & interna forma principiis vitæ noſtræ poſtremè adverſi, tribus his tantùm adveniant modis. Quemadmodum autem peſtile ſeminarium ventorum vehiculo de provincia, in provinciam transfertur: ſic è homine in hominem Contagione, quæ unius in aliud abiens infectio eſt, ſerpit: imò, & rebus inanimis, habitaculis, veſtibus, & reliqua capaci ſupellectili, fomes quidem communicatur: cuius occaſione perſæpe, uti domi redintegratæ, ſic alibi recens enatæ peſtes ſunt: adeò, ut incredibile non ſit, ob tam liberum tot hominum & rerum aditum, iſtius quippiam hoc tempore nobis quoque accidiſſe, importatumq; contagium. Sed, ut ut habeat, non abſq; intraniorum corruptione humorū præcipuè hac temporis commutatione ad labem addu-

adductorum, Pestem convaluisse, statuendum. Quam enim ob non servatam anni partium temperiem, varii ordinis pullulēt morbi, sufficienter admonet in Aphorismorum sectione 3. Hippocrates, prolixeq; ratiões reddit eo, quem de aere, aquis & locis inscripsit, libro. Idipsum verò nos proprio periculo Æstas nupera, præter indolem, pluviosa, satis edocuit. Geminum enim calido humidoq; vitalibus fundamentis connatum, nec non continuò sanguini permixtum, cùm vaporosum, tam seorsum excrementum (quod diligenter notandum illi, qui morbos censeri velit & corrigere) siccis humidisq; tempestatibus externis caussis, plus iusto inauctum, sui quodque generis in nobis laborum materies evadit, & exordium. Ne quid verò nunc de flatulenti illius recrementi primi, maiori parte expiratu cedentis, peccato, indeque germinantibus morbis, ad quos calidarum regionum incolæ, & qui simili utuntur victu, aut siccioris sunt temperamenti, plurimumque æstate, proclivioris, dicam: solum, nec tamen multis, de alterius Aquosi pernicie: cui præ cæteris loca inhabi-

habi-

habitantes frigida, cibo, potuq; utentes crudiori, crapulæ, inertiaq; dediti; necnon naturæ effœminatioris quiq;, maximè obvii, acturus sum. Est autem istud, (ne quis de existentia fortè dubitet) quod frequenter nobis exit sudoribus, concretoq; innatat sanguini: cuiusmodi quid vinis naturaliter permistum inest analogum. Qualiter igitur hic liquor socius vinis damno est, tam, ut (nisi decoctione, uti passim alibi assolent, avertatur corruptio) in acetum abeat, & vappam: sic qui nostro sanguini admixtus ichor, quacunque etiam de causa præter naturam copiosior, ut ad putrilaginem inclinatior; ita leviũ graviorum febrium, catharrorum, tumorum, ulcerum, dolorum, & successive principium evadit deteriorum: donec, gradum attingens malignitatis, quæ contumacia quadam est, & resistentia humoris coqui nescientis, in pestilem desinat venenositatem. Tali è causa, quod hodie etiam non infrequens est, simile quippiam, ut & olim Galeni institutori Pelopi, nostris quibusdam hominibus proximo temporis errore contigisse; apud me extra omnem dubitationis aleam positum est.

Scrvant

Servāt etenim eoſdem propè progreſſus Morbi, quos Natura ipſa in rerum procreatione; quæ ab imperfectis contendit ad perfecta; à materia nempe ſubſtantiali & dimenſionibus terminatis, ad corpus; à corpore & potentia vegetante, ad animans; ab animante & potentia ſentiente, ad animal; ab animali & potentia intelligente, ad hominem. Sicuti igitur in hac ſerie gradus quidam ſeſe offerunt; ſummus alius, medii, infimiq; : ita ſuis quoq; Morbi incedunt ſcalis. Nam, ſuo puta in genere ſummi alii exiſtunt, abſoluti & perfecti; quales peſtilentes & venenati, ad celeriter perimendum efficaciſſimi: alii rurſus infimi imperfectiq; ; quodq; nimium imbelles, & abſq; Medico & medicina curabiles, ob vilitatem Morbi nomine indigni: hos inter, qui de utriſq; æquè, aut ſaltem de alterutro plus, minuſq; participant, conſtituti ſunt medii; per quos tranſeundo infimi illi, ob paulatinam formarum morbificarum in deterius mutationem, tandem peſtilentes evadunt lethaliſſimi. Rurſum, quâ ratione Natura in rerum deſtructione viâ progrediens contraria, ad prima revertitur principia, ab homine

ſcili-

ſcilicet ad materiam nudam, omni forma actu deſtitutam: ſic ea quæ in nobis ineſt morborum curatrix natura, Artis ſubſidiis adiuta, fractis ſenſim ſublimioribus & infeſtioribus ægritudinum formis, tandem, ad tolerabiles, facilesq; reducit decubitus. Id quod & citra magnam difficultatem in hoc noſtro ſævientiore morbo eventurum, ſunt quæ ſpondent nobis plurima; eoq; citiùs, quò rectè monitis locus datus fuerit tempeſtivus. Sed ad rem ipſam.

Cum Medici munus duplex ſit: ſanos (videlicet) in ſtatu valetudinis conſervare, morbo verò oppreſſos liberare; prius Præſervationis regulas; poſt Curationis præcepta trademus. Hippocrates quidem, Medicorum ille vertex, ad vitandam peſtem non veriùs, præſentiuſque, quàm fugam ſuadet remedium: quod nôſſet; illic locorum Aëris plerumque vitio obortas Epidemias, vix etiam ſylvarum incenſione extinctas; ſed unica ſoli verſione devitatus. At, qui ſub diverſo cœli climate degimus, rariuſque ex Aëris corruptela peſtes ſentimus, non tantoperè nobis incumbit perfectionis neceſſitas, ſed licitum eſt prudenti

denti instituto excursum longum, difficultatis plenum, instantem & commorantem quandam fugam commutare. Istud, quò maturè assequamur; Magistratûs cura intercedat oportet: cuius officii est: non tantùm in secundis regnare, hoc est, ratione, haud affectu caussas decernere; sed in adversis etiam hostem contra quemcunque, salutem publicam pessundantem, animosè depugnare. E, quorum censu cùm maligna hæc lues quoque sit, stragem exercens tristissimam: omni studio in id incumbit; quò huius impetus, viresque quam ocyssimè infringantur, ne invalescat malum licentiâ. Itaque, quod primum omnium est, & lege Mosaica ordinatum: ut infecti à mundis sint quam distinctissimi, agat; eo tamen separationis modo, qui non in semichristianam desertionem, abiectionemq; desinat. Postea locorum, ædiumq; tactarum declinationem signatione quadam doceat; arctiores congressus omnes seriò prohibeat; sordes in publicum effundi nullas permittat; sed, sub crepusculis in destinatum locum coprologorum opera amandet; nec non, quæ sunt huius generis

cætera

cætera, etiam cuiq; provido familiæ patri ſolicitè obeunda diſponat. Singulos vero quod concernit; prophylacticum iſtud quiſq; ſtatuat maximum præcipuumq;, offenſi reconciliationem Dei; ſub cuius propitii adiutorio unius, & protectione, ſalvi lateamus & incolumes. Reliquum cautelæ, partim in obfirmatione corporis cōtra veneni impetum: partim in cauſarum noxiarum debilitatione totum conſiſtit. Potens ad repugnandum corpus exterſione, roborationeq; redditur. Emundatur ſeroſi præcipuè de quo diximus, excrementi, & unà cæterorum inde contaminatorum humorum, evacuatione: & ne novi ſuccreſcant inhibitione. Sanguinis turgentia, quam Plethoram vocant, venæ apertione compeſcenda: Cacochymia autem & ſuccorum impuritas (ſive communis illa ſit, ſive particularis) catholico, vel proprio aliquo caſtiganda cathartico. Atque his ſanè indicationibus, citra cunctationem, Medici conſilio adhibitis remediis, ſuo quiſque loco ſtudioſe vacabit: interim tamen non omiſſis conſuetis illis, hæmorrhoidum, menſtruorum, fonticulorum, & quorumcunque ſimilium, particu-

laribus expurgationibus. Quin etiam, cum assiduè in nobis, & iis præsertim, qui victu delinquunt, vitiosi aliquid coagmentetur: convenientissimum erit, & potissimum in hac pestili constitutione, septimanatim blando aliquo è Benedictorum classe solvente catholico: nequaquam autem scammoniato: quorum frequens usus vim Naturæ affert, & præcocem senectam, alvum subducere. Cuius rei gratia ex Aloë, Myrrha, & Croco, Avicennæ pilulas, Pestilentiales vulgò dictas, communiter præscribunt practici: quibus, meâ sententia, aliæ de Mastiche, Conciliatoris, aut etiam Universales Langi, multò hîc efficaciores, præferendæ. Nos delicatioribus huius purgatoriæ placentulæ ordinatione consulere voluimus. ℞. Spec. diaturb. cum Rhabarb. ʒijs. saccari candidissimi in aqua acetosæ dissoluti ℥j. Formentur rotulæ tres. Exhibendæ singulæ. Purgato itaque hoc pacto corpore, ne pristinam contrahat saburram, sedulò advertendum. Et quia vitam nostram foventia duo sunt: circumstans Aer, & ingestus Victus; utriusq; ne forte noxia sint, delectus habendus summus. Aer sectandus

dus quàm amœnissimus, & in editiore potiùs ædium parte, Boreamq; adspectante, lucidus: is verò, qui in Autumno, & Scorpionem Sole percurrente, dependentes nebulas exhibet, clausis fenestris arcendus; aut saltem succensis gratum spirantibus lignis corrigendus. Quovis autem tempore, tam privatæ domus, quàm publicæ, odoriferis perfumandæ, si prius acetum acerrimum, cum myrrha & sale decoctum, ignoto lateri aut candenti ferro fuerit aspersum: Quibus etiam vestes, maximè ex villosa & contextus rarioris materiâ consutæ crebrò afflandæ. Leviori ergo sumptu è domesticis, puta rosis, violis, origano, roremarino, lavendula, spica, salvia, ruta, laurifoliis granis Juniperii, & huius farina aliis, singulis, aut commistis, in pulverem redactis, odoramentum confieri poterit, prunis tradendum. De peregrinis verò, nimirum de ladano, benzoi, an unc. un. styrate calamita, drach. du. pulvere cimam. drach. sem. ligno aloës, scrup. un. mosco. scrup. sem. saccaro candis, unc. un. cum mucilagine draganti, & rosarum aqua, artis lege formari trocisci debent, itidem ignitis carbonibus imponendi.

Equo

E quo Thymiamate pilæ quoq; Poma ambræ dictæ, effingendæ; quæ manibus gestatæ & commutatæ ut spirant suavissimè; sic hyberno tempore pirollis leviter impactæ, toti vaporario extemporaneam conciliant fragantiam: uti etiam rosarum, cui nonnihil caryophillorum pulveris admistum, aquæ effervescentia nebulam vomit, lucernarum illi pingui, maximè contrariam, & summè gratam. His & aliis siccitas, suaveolentiaq; Aëri conciliandæ. Nunc verò ad Victûs, quo, tanquam oleo lumen, vita stat mortalium, institutionem. Cibi, benigni sanguinis feraces, Galeno ob id Euchymi dicti, usurpentur. Panis, reliquorum esculentorum basis, ex optimo tritico, montosis locis demesso, purissimâ recentique farina, aliquoties cribro excussa, fermenta deinde, cum sale, anisi, feniculi, & coriandri præparati seminibus, probè subacta, & denique pista, constet. Carnes animalium, in alimenti usum venientium, minorum, iuniorumque, quod melioris succi; adultiorum, grandiorumq; veluti & natu recentium, nimiũ mucosarum, præferantur. Apparatus verò, modò

non

non ſit admodum opiparus, ut & embammata, ſive intinctus, gulæ irritamenta, ex acetoſi hoc tempore oportunis, cuiuſq; palatui permittuntur. Leguminum autem, olerum, bulborum, necnon radicum eſculentarum uſus rarior, parciorq;. Fructus noſtrates, ut ſiccati, ſic advectitii apponantur recentiſſimi. Caſeus maneat agreſtium pabulum, ſit civilium obſonium. *Potus, menſa pars altera, tot inter fictitios, qui olim ſimplex aqua fuerat, jamdudum naturæ beneficio, vitium partu provenit, excellentiſſimus, variuſq;. Et quidem vinum iſtud optimum, quod odoratum, unius tantum, non dulcis, non auſteri nimium ſaporis, coloris fulvi, ſanguinei, vel etiam nitidi & claritate perſpicui, quodque poculis ſtrepitu illapſum, in veſiculas ilico diſparentes ebulliens, atomos jactat ſpectabiles. His emolumentum, ruburq; advenit corpori, rectè uſurpatis, nempè temperanter. Ingurgitatio enim utriuſque noxia eſt. Voracitas corpus aggravat, mentem autem in exilium mittit, quidvis deſignans, ebrietas.. Unde Plinius: tardum, inquit, dictu eſt, Vinumve pluribus proſit, an noceat, potuſne auxilium, an magis*
vene-

venenum: quod, ut Plato scribit; sæpius animo pudorem, corpori sanitatem adimat. Sed vel hoc nomine etiam minus corpus infarciendum, explendumq; quod in desidiam abeat, motui ineptissimam, quo tamen æquè ut cœlestis calor, sic noster implantatus, actionum opifex omnium, conservandus. Gaudet enim motu, cuius principium est Natura. Languent quiete cuncta. Ita, intempestivum ocium nobis detrimentosum, calorem enecat, meatus obstruit, alimenti distributionem, & spirituum progressum impedit, excrementa aggregat, inprimis fuliginosum illud, quali suffocari ignes cernimus, nulla aura ventilatos. Sed contra iustæ commotiones fructuosissimæ. Præter quod enim sanguinis agitatu, excrementum flatulentum crebriori expiratione, & simul quæ cuti insunt superflua expelluntur, etiam caro incalescens universa, & distenta, nutrimentum attrahit, & admittit quoquo versam; imò inanitis visceribus refectionis excitat desiderium. Verùm motus hic suis quoque contineatur limitibus; sitque firmus, æquabilis & facilis: cuius vicem apud imbeciliores subeant decentes frictiones. Sicut cutem in Natura motum quies excipit;

 cipit;

cipit, ita vigilia, quæ actio, in somnum, qui cessatio, desinat. Quas vicissitudines necessario Natura ob duplicem innati calidi motum sic dispensavit. Nam, quemadmodum candelarum flamma, nunc foras sese proripiendo, nunc verò intrò remeando, perseverat; aliàs, si tota intrò commearet, maiori flamma seipsam consumtura; foras verò longius sese efferens, ad evanescentiam usque dispersura: ita easdem quoq; vices noster obit calor, ne secus, vel assiduis vigiliis dissipetur, vel longiore somno suffocetur. Quemadmodum autem morte vitâ præstantior; sic somno vigilia, ita ut esse dubium nemini debeat, primam & potissimam caloris ingeniti commotionem, eam à natura institutam, ut se foras ad agendum conciliet; secundariò verò alteram; ut alimenti causa introagatur. Ubi igitur hoc perfunctus munere, quod horarum septem, pueris etiam sufficiente spacio perfecerit, ad provinciam non sponte revertatur suam; admonendus. Nec ab hisce tantum corporeis, sinistrè adhibitis, discrimen impendet: sed ob quotidianum, quod corpori cum anima est, commercium, ab alterius illius & brutæ partis motu, quos Affe-

ctus dicunt, in morbis, imò mortem ipsam homini praeceps occasio. Qui, licet multiplices; ira tamen concupiscentiaq; dominatu continentur. Est autem hoc commune omnibus; ut cum calore, toties nominato, modò ad centrum, modò ad circumferentiam ferantur: atq; sic quamcunq; partem appellant, sanguine & spiritu comitibus, plus iusto excalfaciant; contrariam deserant, unde violata temperie, non tantùm morbi, verum etiam, si motus cõfertim fiat, & impetu (ut in ira, metuq; cõtingit) ex vel oppresso, vel fugato calore, mors obrepat praesentanea: sin autem non tam infestet impetuosus, sed sensim & pedetentim cordis occupet penetralia (quemadmodum mœror, qui producta tristitia est) paulatim perimit; non ratione alia, quàm febris diaria, quando in hecticam abit. Ne igitur corpus, affectionum animae turbine, aut procella aliqua impulsum, deiiciatur; valetudinis suae quisq; tutor non indiligens, vitabit quantum poterit, ne quid tale animo occurrat: sin declinare nequat: saltem rationis imperio cursum illius subdat. Certè, si quid aliud, vera & non simulata Philosophia, quae suffragium est, inter optimam conscientiam,

& iniquissimam fortunam constitutis, rerum ostensa vanitate placabit animum, & mortalem contemptorem omnium reddat Democriticum. Tantum de ratione adversus contagium obfirmandi corporis.

Præcautionis momentum alterum, in repulsu & debilitatione causæ consistit noxiæ. Hæc, quoniam intemperie nuda aliqua, sed deleteria; non simplici putredine, sed summè maligna & venenata delinquit: non temperiem mixti, sed calidum, humidum substantificum; adeoq; vitæ labefactat fundamentum: latente prorsus & abdita ratione, nequaquam usitatis illis, & methodo inventis remediis; sed, observatione & longa experientia repertis; peculiari & inexplicabili facultate venenis adversantibus antidotis, & alexiteriis oppugnanda. Istiusmodi verè alexipharmaca, intra corpus alia adsumuntur, alia foris adhibentur; quæ partim simplicia sunt, partim composita. Simplicia, quæ è plantis, & earum partibus petuntur, utpote; dictamnus, scordiũ, eryngium: petasites, salvia, acetosa, ruta, abrotonum, crocum, baccæ lauri, juniperi, nux myristica, indica, poma citria, arancia, limonia, cum cortice & semi-

ne pre-

ne preciosa, rutæ caprariæ (quæ galega est) semen, præsidium planè mirum; item hypericonis, allium quoq; & squilla, radices angelicæ, aronis, myrrhis, tormentillæ, pimpinellæ, gẽtianæ, enulæ cãpanæ, Zedoariæ, calami aromatici gũmi cerasorum, myrrha; succinũ, cãphora, succus & lingnũ aloës, santali: Et mari verò & terra, margaritæ, coralli, luta sigillata sulphur, aurum, argentum, sapphyrus, smaragdus, rubinus, hyacinthus, chrysolitus: Ex animalibus demùm ista potissimùm; cornu cervinum, os item cordi ipsius affixum, maximè autem exsiccatus illius penis, dens Elephantis, lapis bezoar, vertebræ viperea, quiddam peculiare, item, oculi cancri. Atq; hæc, & alia plura, seorsim singula, aut etiam commista, in pulverem poterunt dissolvi, simplici tritura, sive (si placeat) opera laboriosiore, & maiori impensa macerari, decoqui, extrahi in succos; vel etiam in Electarii liquidioris, solidiorisq; formam redigi; item cum vini spiritu destillari. Sic priscis iam dudum consultum visum est, compositos eiusmodi in promptu habere antidotos; qualis Mithridatis, & Andromachi theriaca, cunctis novis contra pestem excogitatis confectiones anteferendæ

 alexi-

alexicotata. Est præterea & illius vetus dispensatio, quam ex quatuor ingredientibus Diatassaron denominant. Efficacior verò multò, quæ regia, sive de ovo, vel etiam diacrocu dicitur, compositio. Familiarissimum autem huius generis remedium extat apud Galenum; quod foliorum rutæ; juglandiū, & ficuum æquales portiones capit, cum pauculo sale & acetositate citri factum Electarium. Si quis plures veterum præservantes & curātes pestem antidotos cupit cognitas, geminos de his exaratos legat Galeni libros, inprimis posteriorem, alexiteriis omnibus ætatibus magnificè habitis, usuq; comprobatis, refertum. Habentur insuper, excogitata novitiorum industria, popularē adversus luem excellētia medicamina: diascordion, nimirum, Fracastorii; sal theriacalis Donzellini: & aliorum item alia: species liberātes, item de hiacintho: quibus addo & hoc meum symbolum: R. fragment. hyacinth. drach. un. smaragdi, sapphyr. rubin. Chrysol. an. drach. sem. marg. nō perforat. scrup. quat. sem. galegæ. corall. rub. alb. ossis de corde cervi: lig. aloës. an. drach. sem̄. lapid. Bezoar. scrup. un. sem. acetos. rutæ capr. card. bened. penis cervini, an. drach. un. auri-

fol. &

fol. & argent. N. 7. ſacc. candis.unc. un. fiat pulvis ſubtiliſſimus, pro lautioris fortunæ hominibus. Tenuioris verò ſortis eſto huiuſmodi. R. bacc.lauri.juniper.cort.citri.limon.an. drach. du.ſem.citri, urticæ, ſinap. an drach. un.herb.dictam.card.bened.ſcord.acetos.rutæ capr.an. m.ſ. Rad.angel.calam, aromat. torment pimpin.enul.camp,an.unc,ſem. miſta debito modo triturentur. Quibus ergo hæc noſtra vetuſtioribus adiungere viſum fuerit:poterunt cautelæ gratia, de pulveribus ſcrup.un.manè ieiuni devorare, vel etiam iuſculo dilutum bibere: quanquam præſtent tales per ſe aſſumti. Minùs enim, quàm alia, peſte detenti, pulveres vomunt: qui verò præſervationis induntur fine, cùm portio aliqua faucibus hæreat, tranſeuntẽ inſpiratam aurã plurimùm corrigunt; veluti & infectorũ halitũ venenatũ retundunt. Sed, quia crebritas omnis, ſatietatis mater delectationis cõtra, varietas eſt:eãdẽ in antidotis quoq; permittimus nequaquã autẽ, quicquid videatur aliis, neceſſitatis nomine. Quod ſi n.frequẽtia vileſcerent antitodi; profecto, Mithridates, q̃ unicã habuit ſuã, & in uſu perpetuo, acerrimo hauſto toxico mortẽ obtinuiſſet tãtopere expetitã.

 Verùm

Verùm venena adversus cuncta medicamentum haberi, (cuiusmodi nuper ostentari cœptum) quod vel semel duntaxat exhibitũ, totam vel maiorem vitæ partem præstet tutam, dictum ut stultè, sic creditum insipiens est; nec minùs impossibile, quàm prandio unico vitam degere universam. At progrediamur ad ea, quæ forinsecus veniunt applicanda. Cor, arx & vitæ diversorium, probè muniendum, scutis, sacculis, linimentis, è cardiacis petitis medicaminibus. Non desunt, qui cremati bufonis cineres, marsupiis conditos, præcordiis admovent, vel etiam ex arsenico factum amuletum, haud prorsus rationis destituti patrocinio, quòd, similitudinis ratione, venena sese cupiant, connato quodam appetitu. Testatur id apertè ictui suo medicans applicitus scorpio: itidem super morsum collocata rabidi canis caro. Sunt hæc, fateor, curationis, minimè præservationis, ubi cuncta pro virili declinanda noxia sunt, momenta. Approbavit hanc meam in privato colloquio Baptista Porta sententiam, aliudq; castigatius, & tutiro is usus, communicavit, non sine magna felicis explorationis attestatione, quod hoc est: ℞. arsen. unc. sem. Mercur. præcip.

drach.

drach. duas: trocisc. è vipera drach. un. magnet. drach. uns sem. succin. pulv. caryoph. fraxin, an. drach. un. fragment. hyacinth. smaragd. sapphyr. rubin. chrysol. an scrup. un. croci scrup. sem. fiant cum mucilagine draganti placentulæ ad Joachimici magnitudinẽ, stylo undiq; perforandæ. syndoneq; vestiendæ. Verùm, neq; isthæc mihi satisfacit omni ex parte prudentia: quòd periculum, ne, quæ addita sunt, cordialia, secum deducant venena, eo planè pacto, quo hostes, fortè præsidiariis intermissi, arces invadunt. Mihi ea probantur magis applicita, quæ hæreant pertinacius, eantq; altius, pinguia: cuiusmodi, balsami, vel olea, de citro, ruta, angelica; & cætera: umbilico, carpis præcordiis, tum & iuguli testiumq; venis illinenda, vel etiam indenda naribus; quibus alias pilas, è lignis odoratis torno factas, atq; spongiolis liquoribus imbutis expletas, admovemus. Utrum verò præter hæc amuleta physica, alia insuper dentur & absolutiora, hyperphysica? contendit cum Platone Aristoteles. Hic, omnem actionem à formis derivat tantùm physicis; ille præfert naturalibus mathematicas, metaphysicis proximiores. Aristoteles, omnem efficaciam

quantitati adimit: cumq; numerus & figura quantitates sint, ad illumq; oratio, veluti ad hanc characteres, pertineant: nullam ipsis ex se vim aut potestatem, tribuit. Nec profectò immerito: quod dicta, scriptaque rerum tantum sint symbola: à quibus si quod fortè obtinetur beneficii, non tam illis, quàm magnæ, & superstitiosæ, fiduciæ acceptum ferendum. qualẽ simul cũ taciturnitate magiæ sive cabalæ professores spuriæ sũmoperè deposcũt. Hactenus de Præservatione. Sequitur Curatio.

Contagio, quos invadit, variè afficit, Porteique ostendit faciem, adeò ut in magna ægrotantium turba, raro unus atq; alter iisdem distineatur symptomatibus. Quæ sanè accidentium dissimilitudo, partim naturæ patientum diversitati partim humorum varietati, motuiq;: nec non virtutis robori aut imbecillitati, asscribenda. Quorum n. spiritib. malum insedit, ii, crebris infestati animi deliquiis, inquieti iactãtur: nullo ex urinis veniẽte iudicio: quãdo verò humores occupavit, turbata apparet mictio, & pro alia, atq; alia illorum miscela, exuperantiaq; diversa quoq; vigent accidentia. Pletoricis sanguis diversimodè exit: qui si exustus fuerit, carbones gignit.

gnit. Pituitosi-gangtiis divexantur, & bubonibus. Biliosi, intus, forisq; persentiscunt incendia, Melancholicis cancri, gangrenæ exoriuntur, & sphaceli. Succi hi ad cerebrum evecti, si calidi fuerint, deliria, insaniam: sin frigidi, morbosum soporem, stuporemq; afferunt: sin ventriculum petant, vomitus, nauseas, excitant; quemadmodum ad intestina prolapsi, cum excoratione alvi profluvium: sin ad renes ferantur, copiosas cessant mictiones: quæ materies si foras prorumpat, cutem inundat. Principes verò partes ubi robustæ, obvios huiusmodi humores vel ad propria relegant emunctoria, vel saltem ad loca amandant distantiora. Atque ex hisce potissima capitur pestis coniectura. Etsi verò hæc multorum capitum, & pernix bestia sit, tamen cum iniectis Deorum manibus, quæ remedia sunt, hanc multoties prosterni, vincique cernamus; ereptis è mortis quasi faucibus plurimis, iisque magis, qui initiò sævioribus corruerant symptomatibus, quam qui tentati blandius: non prorsus abiiciendus animus: sed Naturæ subsidiũ ferendum quã celerrimè: q; elapso 24. horarũ spatio, ob venenũ cordi iam impactũ, auxiliũ inutile serũ. Primũ autem

 atq;

atque summum requisitum est, ut materiæ putrefacta venenosa, unaq; sorde affecti evocentur spiritus. Hanc intentionem communem quidem habent Medicorum omnes: sed diversa veterum quidam, qui & hodie suos habent asseclas recentiores, via & ratione obeunt. Evacuationem alii per venæ sectionem, alii per alvi irritationem moliendam volunt. Purgatio, quàm inter neotoritos tantoperè urget Vesaleus, fundamento destituitur solido omni: adversamq; sibi habet Hippocratis, Galeni, Celsi, autoritatem. Nam cathartica, cum humores conturbent, ne in varias partes dispargant, cautio est: veluti etiam, ne Naturæ motum, qui semper adiuvandus, intervertant, ad circumferentiam tendentis: ne etiam cruentum fluxum, pesti familiarissimum excitent, vires prosternant: tarda insuper operatione, agendi occasionem perdant. Poterit nihilominus, quibus adstricta alvus, leniente enemate lubricari. Ergo phlebotomia, quod non tantum humores infectos educat, sed & obstructiones aperiat, febris fervorem compescat, ingentis morbi magnum remedium meritò anteferendum: quo putrefacti humores eventantur, non aliter ac disiectione

ctione fimus; nec secus ebulliunt, quàm solent aperto vase musta. Nam quemadmodum ignis lebetibus subiectus, aquam in bullas agit; ita calor, & virtus, corporis nostri rectrix, malignam humorum illuviem exagitat, quò inter ebulliendum separet, excernatque. Quem sanè Naturæ conatum strenuè adiuvet Medicus par est, ea offerendo, quæ ad ebullitionem ipsam stimulent, & promoveant perfectam; qualia sunt calida & tenuium partium medicamenta. Quocirca, non nisi iusta reprehensione digni, qui ad curandam pestilem febrim frigida, siccaq; præscribunt pharmaca; fortassis Rasin atq; Mesuen secuti, non raró evitandæ, curandæq; pestis modum confundentes. Corpora equidem nostra ut magis reddamus solida, frigida usurpamus atq; sicca. Nequaquam verò infectis principiò propinamus acida; licet stiptici aliquid inhibendæ ebullitionis nimiæ causa, admisceamus, Avicennæ exemplo, qui, ad protrudendas infantium papulas, laccæ iungit dragantum. Posteaquam igitur convenienti ratione soluta fuerit vena, ilico sudori studendum est, quo humorum & spirituum simul obibitur exhaustio. Quare antidoti,

puta theriaca, species Liberantis, vel etiam pulveres nostri, ad drachmæ unius pondus propinandi, nec non tantundem de sulphure, cuius oleo plurimum tribuo. Sulphur enim, mirificè vires infringit pestilentes, humores præterea ad cutim delatos consumit. Eiusdem enim conditionis sunt, qui exanthemata producunt pestilentica, & qui scabiem gignunt, veluti quoq; venenosæ qualitates, symptomata eadem, quæ scorpionis aut viperæ morsus inducunt: quibus omnibus, Dioscoride teste, cùm eximiè medeatur sulphur: illo minimè hic quoq; abstinendum. Exhibito itaq; quocunq; bezoartico, ne, ut solet plerumq; vomitu reddatur, prohibendum sedulò iis est, quæ laxitatem coërceant gulæ, qualia austera in ore detenta, ventriculo verò pomum citonium, coctum & contusum, superimpositum, vel etiam stomachale Galeni emplastrum, aut de crusta panis Montagnana: singularis hîc efficacia corticos fraxini in rubello vino decocti, & ventriculo appliciti. Sudor verò, ut sequatur promptior, venenumq; exeat: quidam panem domesticum, adhuc è coctura calentem, in basi excavatum, & aqua theriacali inebriatum, umbilico imponunt. Cuius

loco

loco vericas suillas, malvatico, cui theriaca & croci nonnihil admistum, semiplenas, pectoris & subaxillaris regioni applicandas suadeo calentes. Exinde qui venire solet sudor lentus, paulatim linteis abstergendus, sustinendusq; ad tolerantiam: quin & agro caponis prius aquâ, cum cordiacis destillata, refecto, ante somnum iterandus. Porrò, cùm ob multitudinem corruptorum humorum, neq; venæ sectione, neq; sudoribus venenum exeat totum, sed duello, Natura, quod cum veneno gerit, victrix foras hostem eiiciat, derepente in cute apparent maculæ, vibices, ex mitiori sanguine vitio: circa emunctoria autem, bubones: ubiq; verò cutis locorum ganglia, sive nudosa tubercula, ex pituitâ corruptâ pullulant: malignæ autem & crustosæ pustulæ, ex sanguine adustiore, & in atram bilem converso. Incipiens ebullitio, carbunculos: progrediens, anthraces: extremè incandescens, gangrænas inducit, & sphacelos, affectus desperatos. In maculosa febre curationis initium à sectione venæ haud faciendum: sed urgendus potiùs sudor est: postmodum hinc inde partim cum vulneratione, partim absque hac, ægro iniicienda cucurbitulæ.

Abscessus verò si erumpant in loco parti nobili proximo, amoliendi, quos præsertim trahit raphanus orbiculatim dissectus saleq; aspersus, & latitudine manus, subtus tumorem alligatus, sensimq; promotus. Non æquè autem, ut in aliis tumoribus consuetum est, utendum repellentibus, sed laxantibus potius, & attrahentibus. Quare, hoc fine, affecto loco applicãdæ, cum profunda scacrificatione, quâ non tantum venenum alliciatur, sed simul quoque magna ex parte exhauriatur, ventosæ; quarum vice Matth. de Grad. vivas ranas: alii exsiccatos bufones, aceto maceratos, superindunt: quos tamen sequendum minimè puto; quod frigida venenum plus repellant, quam invitent. Magis arridet eorum inventum, qui pullos, columbas, gallinas, circa nates deplumatas, admovent: inq; demortuorum locum alias reponunt atque alias. Sufficienter itaque veneno attracto, ad suppurationem properandum, quod huiusmodi aut consimili etiam præstabitur emplastro. R. allii capit, cæp. alb. sub cinerib. coctas, an unc. tres: Rad. althea, lilior. an unc. du. caric. ping. unc. un. sem. exung. poreni. unc. quat. Ol. camom. unc. quinque: in decoctione adde

farin.

farin. fœnigr. lim. an. unc. un. ſem: medullæ panis ſubtiliter confractæ unc. duas, ſem: theriacæ drach. ſex. opii ſcrup. un. Croci ſcrup. ſem. fiat pro Cataplaſmate pulmentum. Non autem hic conſummata expectanda maturatio, ſed acceleranda apertio: ulceriſq; ſordes unguento abſtergendæ Ægyptiaco: incarnandum verò Apoſtolico, Gratia Dei, vel eo, quod à palma nomen habet, emplaſtro. Nec tamen properanda occluſio, ſed aliquo uſque differenda: imò vomica iniecto piſo ad tempus alenda. Caſtrenſes chirurgi, ob numerum decumbentium, inopiam verò medicamentorum, infra bufonem revulſa cute ſetaceum faciunt, & hellebori nigri radicem butyro illitam indunt, plurimumq; proficiunt. Bubonum ferme ſemper comites carbunculi ſunt. Sicut igitur illi ſuppurari; ita hi debent uri, aut ſecari. Quare anthrax, qui Carbunculus malignus & Iridicolor, profundè cauteriſandus: aut ſi ignem æger horreat, phlebotomo undiq; pertundendus, exprimenduſq; humor: mox inſternendum unguentum, quod conſtat calcis extinctæ, ſulph. ignem non experti, an. unc. ſem. nitri. pulv. ſcabios. tutiæ præpar. an. drach. duas. theria. drach.

drach. trib. opii ſcrup. ſem. & ol. lilior. alb. Ne verò ſerpat ſeſeque proferat Carbo, ex bolo defenſivum in circuitu collocandum: ulcus mundificandum, abſtergendum, cunctanterque ad cicatricem ducendum. Demùm, ſi uſpiam, hîc maximò opus eſt exquiſita victus ordinatione, & pertenui, quæ acutiſſimis debetur morbis. Idcirco boni ſucci cibi, quibus ſemper quid acidi admiſcendum, pauci illi quidem, ſed crebrò, (propter coctionis imbecillitatem, & virium in tanto morbo proſtrationem) offerendi. Vinum album tenue, cum paſſulis optimè decoctum, & citri ſucco nonnihil aromantiſatum, exhiberi poterit innocuum. Poſtremò ſymptomata cum Peſti ſupervenire ſoleant, urgentia hæc, variaque ſic compeſcenda. Animi deliquiis, hîc admodum frequentibus, extremorum frictionibus, ligaturis, ſuccurrendum. Syrupi quoque de ſucco ſcordii, ſcabioſæ, tunicarum, è citri item cortice, & ipſius acore, arantiiſque, crebrò ori inſtillandi, quibus etiam illinendi carpi, admiſtis ſpeciebus cordialibus: unde quoque confieri potuerunt Epithemata cordi. Fervori autem, &, quæ hunc

comi-

comitatur, siti, refrigerantibus & humectantibus adversandum: confert comestum caulium lactuca conditum: item conversa flor. borrag. rosarum, violarum. Hoc nomine, os, passularum, hordei, & melonum decocto, multoties eluendum. Lingua scabricies, pannis aqua & succo acetosæ imbutis, abstergenda: glyzyrizæ radix mandenda; semina citoniorum simplici aqua macerata; aut sempervivi tusa folia, palato continenda. In appetentia, oxysaccari, liminum, arantiorum, &, qui è rosis paratur, succo, medendum. Vomitui verò naturam lædenti frenum iniiciendum, cataplasmate ex palmulis, malicorio, gallaque, potissimùm è corticibus fraxin, ipsiusque foliis. Alvi profluviis nimiis obviandum clysmatis adstringentibus: inductis pariter ventri, eiusdem facultatis oleis. Amylum sorbitionibus exhibitum, hoc loco existit utilissimum. Doloribus capitis, vigiliis, deliriis, cùm idem subiectum, eandemq; causam sola vehementiâ differentem, habeant, iisdem adversandum. Proinde, ex aqua rosar. cum bolo, vel etiam posca admovenda frontalia;
quibus

quibus vaporum aſcenſus pellitur: cuius motus ſimiliter ligaturis & frictionibus ad extrema dirigendus. In capitis dolore vehementiori, raphani radix cum ſale tuſa occipiti adhibenda. In requiſitis autem deliriis, caput totum unguento alabaſtrino inungendum. Somnus, pedum lotionibus, ungento populeonis, nenupharino, aut medicamento etiam aliquo hypnotico, nempè Philonio Rom. aut Nicolai requie, conciliandus. Sin veternus obrepat, æger ſternutamentis, pilorum villicatu, & aceto naribus admoto, excitandus, gratiſque colloquiis, & ſpectabilis pervigil præſtandus. Cum autem in talibus quid verè urgeat, & agendum requirat (ne per ignorantiam fortè criticæ ipſiuſque naturæ præpediantur, cum ſummo diſcrimine) excretiones, peritorum Medicorum accerſendum iudicium: quos Magiſtratus muneribus & honoribus invitatos, habeat certos conductitios, ut & chirurgos. Non enim omnibus hæc accepta, & tuta provincia eſt, neque cuivis Achilleus qui hic requiritur, animus: neque ſe habet, ut quidam exiſtimant. Figridis inſtar, peſtis: quam fugientes ſequi: inſequentes

verò

verò fugere perhibent: muſcæ potius præ ſe fert impudentiam, adſultu ſuo nemini propitia. Sed hæc, Vobis Patroni, Amici, noſtræ Muſæ, ut ut conturbatæ, lubentes exararunt. Incolumes porrò tueatur, curet ſaucios, noſque omnes ſervet Salvator Ieſus.



DE



JOHANNIS JESSENII à JESSEN

De *MITHRIDATIO* & *THERIACA* *DISPVTATIO.*



D



DE MITHRIDATIO, & THERIACA DISPUTATIO.

CAPUT I.

Auctores nominat & appellationum rationem tradit.

SIcuut hominum maleficorum & monstrosorum domitorem eversoremq; Herculem: latronum trucidatorem, & mundo perniciosorum perpurgatorem æmulum Theseum, fortissimos Heroës antiquitas laudat, ita ob divinam magis, quam humanam vim præsentissimam contra vita noxia omnia, inter alias generi humano salutares antidotos, quasi reges quidem, Mithridatium & Theriaca à bis mille annis ferè regnum obtinent.

Mithri-

Mithridatii Ponti regulus Mithridates excogitator, cuius, inter alias, descriptionem Pompeius Magnus, devicto Ponto, Romam detulit, nobilissimoq; hoc spolio triumphavit. Dubites, victorine id felicius, an victo contigerit gloriosius? cui sic! Vita litet & regno immortali nomine non tantum Romæ, sed ubique regnare contigit. Huius antidotum Andromachus Senior, Neronis Medicus, plurimùm auxit, & mutato nomine Theriacam dixit. Quamvis ante Mithridatium (ne quis turbetur) ita nuncupatum, veluti & Nicandro Galenoque ea omnia, quæ potu vel morsu illata venena necant, ita dicta remedia. Sola verò deinceps semper Andromachi compositio peculiariter appellata Theriaca à θηρίοις voce, quâ Græci fera animalia cuncta vocitant: inter quæ, cum pars maxima serpentes sint, Theriaca, quod horum potissimum medeatur morsibus; Galeno dicta videtur, cùm rectiùs fortassis à careo θηρίω seu vipera compositionem hanc ingredient sit denominanda. Repudiatis enim venenatis aliis, Andromachus inter serpentes, minùs exitiales viperas, ut quarum malignitas præparatione & correctione non parum oblite-

retur

tur, delegit. Sunt marassus, thirus, vipera eisdem speciei nomina: è qua sola vipera ab Andromacho, Galeno, & cæteris vetustioribus Theriacæ scriptoribus ad hanc antidotum quæsita. Unde cum Leoniceno contra novatores, nec ex Ægypto thirum ignotum Europæ serpentem accersendum: nec alios trociscos, thiri carnem supplentes quales ex vivo sulphure & oxymelite Conradus Medicus Ziguriinus lib. 2. Epistolarum somniat, excogitandos sentimus. Nunc, quænam è pluribus in compositione dictar. antidot. retinenda scriptio, videndum.


Caput II.

Sequendas in compositione veriores antidotorum descriptiones patefacit.

Mithridatii lib. 2. & Theriacæ lib. 1. de antidotis varias Galenus recitat descriptiones. Mithridatii tres extant primariæ, quarum una Andromachi; Antipatri & Cleopatri altera; Damocrati tertia, jambico carmine decantata, asscribitur. Hæc in usu frequentior, quam & Paulus tanquam commu-

nem,

nem, & Mithridato olim familiarem, sue inseruit Compendio, mancam tamen, & διαστιγκῆ titulo. Præter quod enim agarici, & croci oblitus, in reliquorum quoq; simplicium ponderibus plurimum variat. Eidem Damocratis confectioni lib.5. sui Canon. Avicenna favet, sed quasi imperfectæ hermodactylos aliaq; admiscet, quæ ne agrestis etiam hominis ventriculus concoquat. Quare suppositio neglecto fœtu, à Galeno productum & laudatum agnoscamus genuinum. Hoc ipso etiam consule, non aliam Theriacæ confectionem, quàm ab Andromacho heroico carmine, ideo, ut facilius memoriæ hæreret, difficilius autem ordinem amitteret descriptam, à filio pedestri oratione explicatam, ab Avicenna etiam dicto loco retentam, sanctè sequamur. Illa 54. ingredientibus, hac 80. simplicibus, secundùm artis regulas non verò absq; ratione, ut perperam Fallop'ius censuit composita antidotus. Cuius compositionis necessitatem, & usum indicare iam proximum est.



CA-

Caput III.

Causas pluralitatis ingredientium reddit.

Etsi non temerè multiplicari entia velit Philosophus, cùm quò simplicius, tantò perfectius omne: Ipsi quoque Medici frequẽter simplicibus sint contenti. Adhac, Plinius non cerata, collyria, & antidota, parentem illam ac divinarum rerum artificem, naturam producere: sed officinarum & avaritiæ commenta esse scribat: nihilominus olim iam Medicos ut medicamenta efficacius agerent, & pluribus affectibus succurrerent, mistioni operam dedisse, Scorbonius Largus testis est. Quemadmodum enim cateræ artes materiam, quâ utuntur, præparant & operi commodiorem præstant; id quod in pigmentorum confectionibus pictores consuevêre: ita & ars medica è plantis, animalibus, metallis, simplicibus, mista inchoat, facultates quasdam delendo, occultando, aliasque excitando, & vehementiores reddendo, vel etiam temperando, novas formas excitat, ut hoc pacto unicuique corpori & temperaturæ, morboque proprium

prastò remedium; idq; quidem specie unum existat, virtute autem multiplex. Hæc impellebat non solùm necessitas, sed invitabat quoque commoditas. Cum enim aliud esset, quod viperæ morsum sanaret, quod scorpionis ictui mederetur aliud; aliud quod hausto aconito, devorato gypso adversaretur: quæ hisce omnibus par esset, multa in unum compegerunt massam. Hac de causa Mithridatium, quod è pluribus, membris principalibus subvenientibus simplicibus compositum, Aphrodissiensi multiplici non commendatissimum. Dictamnus enim, ut Langius in Epist. habet, corroborat, eupatorium jecori gratum, lieni scolopendrium, petrosolinum ventriculi orificio, hyssopus pulmoni, enula campana renib salutaris, ruta intestinum laxum firmat, cerebrum gentiana corroborat, seseli vesicam. Theriacam Scaliger ex veneno, & iis quæ veneno adversantur, compositam, atq; sic è duobus extremis quiddam medium arte effectã; ratione veneni, peculiari cognitione venenum appetere, eo se involvere, secum adducere 33, exercit. scribit. Trincavell. autem, Mithridatium & Theriacam cùm non ex iis solùm, quæ venenis resistunt, verùm ex aromatibus

natibus insuper calfacientibus, digerentibus, aperientibus & roborantibus composita, non tantum in venenatis affectibus, sed in diuturnis quoque viscerum infirmitatibus utilia afferit. Et Fallopius, utimur his, inquit in omnibus fere affectibus, antidotis; quod in ipsis multæ vires, unde plurimæ resultant actiones.

Caput IV.

Illustrandis nonnullis dubiis, & asserendis veris occupatur.

Cum non desint, qui hodie urgent, has haberi posse multis de caussis integras antidotos: imò licet datis, diversis tamen nequaquam morbis affirment idoneas, ipsa experientia contradicendum. Theriaca quidem nos carere optima apertè Fallopius pronunciat. Idem de materia medica si quis alius adprime meritus Matthiolus comprobat, dũ lib. 1. super Diascoridem commento, de hedichroo cap. iam dudum nos legitima Theriacæ compositione, myropolarum depravatione caruisse prodit. lib. verò sexto cap. 40. hanc Veronæ apud Franciscum Calzolarium, ad cãpanæ signũ, legitimè confectam, venalẽ iactat.

Sanè quicquid circa has antidotos dubii olim fuit, id non solum per Sylvium, Oddum, Marantam, & aliorum ingenia decisum, sed & facilima componendarum ratio opificibus demonstrata; ita ut non in Italia solũm, sed ubiq; gentium, mercaturæ beneficio, elaboratissimæ possint confici. Id quod multos iam annos Vratislaviæ D. Casparis Butneri singulari industria compertum. Neq; tamen hic fraus fallat omnibus Magistratibus imitãda Augustissimi Senatus Veneti circa harũ antidotorum dispensationem solicitudo & cura, quæ ea fides his antidotis apud exteros quoque parta, ut sub veneto titulo aliæ decipiant adulteræ. Unde continuò vel incusandus dolus est, aut temerarius culpandus usus, si quis expectatione frustetur. Verùm datis veris his, & per certa iudicia compertis, non tamen hæ (opponunt alii) contra plurima morborum genera preciosæ futuræ antidoti. Ita gentilis Avicennæ interpres instat: non similes, sed diversi, item contrarii existunt morbi, quibus singulis proprium debetur remedium. Hoc fine tot apud Galenum simplicia, tot ex his cõposita, quæ frustra omnia, si unius foret Mithridatii sufficientia.

Con-

Concedimus sanè, singulis morbis à natura singula data remedia: at Mithridatium & Theriacam tot constituunt simplicia, ut si proposita non recusaret brevitas, hac emendandis humoribus, roborandisque partibus omnibus idonea existere contra incrudelos facile obtenturi simus. Sed urget adhuc cum Aristotele Gentilis subtilitas. Actio omnis & passio proportionem, quæ in mole vis quædam est, supponit. Dosis Theriacæ rarò fabam excedit Ægyptiacam, quæ paulò plus drachma est: hæc duabus constat massa partibus, una specierum, altera melle, æqualibus. Iam, piper nigrum, exempli gratia, cicutæ medetur; at illius drach. 6. integram duntaxat subeunt compositionem: quantulum huius in unica dosi futurum? quomodo sic proprium venenum adorturum? quomodo devicturum? num aliter, quam si infantulus humi repens audacissimum ad certamẽ provocaret militem. Mercenarius insuper medicamentum etiam morbo æquale nil valere contendit, quod actio à proportione maioris inæqualitatis proveniat. Hîc statuendũ, actionẽ non solùm Theriacæ, sed simul cooperanti naturæ nostræ acceptam

 feren-

ferendam, quæ Philosopho motus & omnis actionis principium; Hippocrati morborum medicatrix, à nomine unquam edocta, uno aliquo persæpe instrumento, industrii opificis exemplo ad diversas actiones, rursum aliquando diversis ad unicã operationem utitur: unde huiusmodi medicamento ex mistione similari reddito, naturam ad contrarios etiã proterendos & fugandos hostes feliciter usurpare, ipsa experientia quotidie attestatur. In morbis enim propulsandis, nec omnia per se natura potest, nec item remedia valent: hæc naturam iuvant, quæ vicissim remediorum vim adauget. Et quanquam qualitatum opera plurima peragat, non tamen pauca, etiam sine his, perficit. Eiusdem enim caloris beneficio carnem, & ossa, gignit. Unde manifestum, qualitates, non prout vires ferunt, agere; sed quatenus à natura superiori magistra regantur. Et hinc, priori de fœtus formatione lib. Galenus sic loquitur: actiones, quæ in natura fiunt, quædam manifestas habent causas; quædam verò occultas & inexplicabiles soli Deo autori notas. Rectè igitur Scaliger qui omnia ad elementorum qualitates referunt, quid hi aliud sunt, quàm elementa

Suffi-

Sufficiat nobis experientia, cui prima debetur fides, didicisse, ubi alia remedia, vi morbi superata, nihil contulerunt, has antidotos super omnem expectationem vires suas exeruisse. Sed nunc de horum viribus.

CAPUT V.

Vires utriusque antidoti particularius indicat.

DUæ sunt principales Mithridatii, & Theriacæ facultates; una sanos præservare; altera ægrotos restituere. Non utrinsq; vis tamẽ eadem est, uti id quoq; lib. 2. de Antidot. Gal. admonet, dum ad quædam mithridaticam compositionem aptiorem cõmendat. Sunt enim tres Galeno antidotorum differentiæ; nonnulla veneno epoto opem ferunt; alia venenatis ferrarũ morsibus auxilio sunt; alia deniq; ex mala victus ratione morbis resistunt. Mithridatium Galenus contra venena universa imprimis, & omnes interiores corporis humani affectus efficacissimum: Theriacam autem ad viperæ & aliorum venenatorum morsum præstantiorem profitetur. Utraq; antidotus non valetudinem tan-

tàm, quæ in humorum consistit proportione, tueri, sed & senectutem, quæ caloris imminutione & sanguinis sorditie provenit, facilem diuque viridem præstare possunt. Absumunt enim humores superfluos, refrigerata excalfaciunt membra, naturales corroborant virtutes, ut paratiores sua subeant commendata munera. Quanto enim venter calidior fuerit, tanto expeditiùs cibos concoquet, venæ sanguinem promptiùs gignent, iecur biles secernet: atque sic defæcatum sanguinem cor suscipiens, ipsum deinceps universo corpori salutarem impertiet. Eadem moderatè foras excrementa propellunt, non tantùm crassa illa, ciborum reliquias, sed subtiliores quoque per urinam, sudores & insensibilem transpirationem. Hinc appetitus integer, halitui oris gratia, menti alacritas, & quod maximum perpetuum quoddam vitæ ver, atque inventa. Quibus de causis horum quotidianus olim apud principes viros usus. Postea, cum sint, quæ in morbis & anxios Medicos reddere, & ægros ipsos nisi maturè & cautè subveniatur, subitò evertere, aut in novos saltem affectus præcipitare assolent, dolor, vigiliæ, in-

anitiones, omnibus his feliciter dictæ antidoti opitulantur. Capiti dolenti à frigida causa Mithridatii, aut Theriacæ antiquioris: ab affectu calido recentioris fomentū medetur, quæ par in dentium quoq; & pectoris dolore, ratio est. Ventriculi, intestinorū, renū, & vesicæ tormina epotæ placāt; iuncturarum dolores mitigant: somnum nuper confectæ, relegatis vigiliis, suavem faciunt. Deiectiones alui crebras potenter sistunt: vomitus compescunt, sanguinem, quocunq; irruat, figunt; catharros in pectus proruentes intercipiunt, dysuriam adimunt; fœtum, ne præmaturè excidat, suspendunt. Contra, hæmorrhoidas & mēstrua aperiunt; secundinas pellunt; lumbricos interficiunt, calculos confringunt, regium morbum, sive ab obstructione, aut veneno ortum, item hydropem omnē tollunt; phtisin in incipientem vincunt; convulsionibus non minùs, quā membrorū resolutionib. subveniunt; fascina solvunt; vegetā venerē efficiunt; epilepsiæ mirè resistunt; vitia cutis universa extergunt. Articularibus morbis, si aliud quicquam, hæ medentur antidoti. In his enim cum quinq; requirantur, superflui in corpore existētis humoris consumtio; illius, qui fluxit

evacuatio fluentis, retractio, doloris lenitio, & affectarum partium roboratio. Omnibus hæ sufficiunt indicationibus antidoti. Maximè verò, inquit, lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 15. Galenus, proderit Theriacam talibus, sanis adhuc, frequenter bibere, quod superfluos humores consumat, totamq; corporis intemperiem corrigat. Nam etsi alia medicamenta, quæ podagrici in remedium dolorum bibunt, fluxiones ad pedes fieri prohibeant, superfluos tamen humores non consumunt; sed potius maius aliquando damnum accersunt. Et paulò post, inquit, excitatas à melancholia graves curas, multoties sumta, ex animo pellit; perinde, ac si è splene ac reliquis membris atram bilem exugerent. Quotidianis febribus boli forma cum saccharo devoratam, aut in aqua vitæ dissolutam haustam mederi, Paræus expertus est, quâ & sacerdotem à quaterna liberavit Lusitanus. Eandem Forestus, ante accessionem, ad sudorem movendum, pellendumq; rigorem propinat. Concoquit & maturat utraque hæc antidotus Guidoni. Thalgautio sordida ulcera emundat, carnem & cicatricem glutinat. Paræus ad eliciendam è virulento morsu saniem applicat.

plicat, easq; cæteris omnibus alexiteriis præfert, quod muniant viscus nobilissimum vitæque arcem: spiritus dissipatos recreent & reparent, venenumque omne non assumta solum, sed & cordis regioni, bubonibus, item & carbunculis admota debellent. Adeò occulta proprietate, velut succinum paleam, hæ venenum quodcunque attrahunt, attractum digerunt, dissipant & internecinis viribus prorsus spoliant. Nobilissima igitur in peste auxilia. Id quod cum Alexandrinus perneget, deductius à nobis demonstrandum.

CAPUT VI.

Contra Julium Alexandrinum, Theriacam in Peste tutum & felicissimum auxilium convincit.

PEstem à Theriaca evinci, cap. 16, Galenus ad Pisonem scribit, & ut id magis persuadeat, rationem experientia confirmatam addit: nempe deprehendisse se affirmãs, vel solam Theriacã in pestilenti constitutione languentibus potissimùm succurrere, neque

aliud præsidium tam magno malo restitisse. Et autor lib. de usu Ther. ad Pamphil. refert Aelianum Medicum præstantissimum, Italia gravi peste grassata, cum cætera nil conferrent, maximo successu solius Theriacæ usum imperasse. Fuit hæc omnium inde usq; constantissima semper sententia, quibus tot ferè unicus Iulius Alexandrinus, vir quidem sine exceptione doctissimus, publico & prolixo scripto contradicere, & Theriacam vim ullam contra pestem obtinere inficias ire ausus est. Nam pestis, inquit, omnium confessione (ut paucis multa comprehendamus) febrem habet putridam: Febris passio calida, simulq; sicca, frigidis humidisq; eget remediis; putredo autem, cum ab extraneo fiat calore, & excedente modum humiditate, frigida & sicca postulabit auxilia. Cum enim ex ipsius morbi essentia curatoriæ petantur indicationis, semper in peste febrilis caloris, maior putredinis, huius ut causæ, illius autem, ut morbi, habenda erit ratio. Quod abstractiones, quæ putredinis causa sunt, attinet, eas, ubi ex pravo victu oborta pestis, adesse concedit, abesse autem, ubi ex Aëris corruptione genita. Quanquam autem

putre-

putredo illius efficaciæ sit, ut unico die tollat, venenum tamen esse negat. & frustra putredinem venenum constitui affirmat, cum per se id præstare valeat. Aërem insuper putrefieri, ita ut celerrimè occidat, etsi non negat, ob id tamen venenum fieri dubitat. asseritque inepte, dictat, ex tali aëre in nobis venenum gigni, cum verò similius sit, ex putredine putredinem excitari, introducta scilicet in patiente eiusdem generis forma cum agente non diversa. Pesti quoque putredinem non venenum non inesse, à consueta curandi forma. quæ exsiccatione nempe & de obstructione peragitur, deducit. Postremò veneni naturam à pestis conditione diversam, à diversissima utrorumque actione confirmat. Quibus pertractatis, ut Theriacam pesti minimè adversam ostendat, temperamentum & facultates ipsius examinat, valdeque calidam commonstrat. Post ita colligit, vel Febris, vel ratione hanc efficientis putredinis, vel virium causa profutura Theriaca. Horum autem nullius ratione convenire infert. Nam ratione putredinis: si enim plus iusto utamur siccis, in pestilentem hecticam

præcipitari: propter caliditatem febri nequaquam conducere: deinde virtutum medicamen non iudicare. Postremò, ratione veneni Theriacam non prodesse, quòd hoc illi nequaquam inesse ostenderit. Hisce Alexandrinis prima quidem fronte speciosis sic respõdemus. Et primò quidem, venenum pesti, qualecunque etiam illud sit, non inesse, haud inviti ipsi annuimus: quia verò tam celerrime eius putredo interimat, nulliq; parcat, æqualem veneno efficaciam ipsi tribuimus. Cumq; omnia putredinem evincentia eludat auxilia, fortioribus, quæ tantæ illius adversari possint virulentiæ, egere remediis rectè putamus. Quâ igitur ratione Theriaca venenis, vi pestem superantibus, contraria, eadem & excellenti pestis putredini inimica futura est. Resistunt n. ut Aristoteles inquit, putredini siccãtia: Talia autẽ pestifera putredo postulat validas, quo nomine prodesse Theriacam omninò censemus. Fatemur equidem, magis calfacere Theriacam, quam febris, putredinis huius socia, ferre videatur. Sed tanta est exitiosa putredinis feritas, ut febrem quadatenus auxisis præstet, dummodo ea consequamur, unde maius speremus iuvamen. Nocere enim

sæpè.

ſæpè, ut magis iuvent, quotidianum Medicis. Quanquam & refrigerantibus quibuſdam admiſtis remediis Theriacæ excalfactioni nos poſſe occurrere, ex Galeno novimus. Tenendum autem, non propter id tantum, quod exſiccet, Theriaca, huic peſtiferæ reluctari putredini: ſed ſimul ob occultam quam contra cauſas corpori noſtro inimicas, ex eius compoſitione reſultantem, & in aliis exſiccantibus minus præſentem obtinet facultatem. Hinc conſideranti mihi omnia peſtis virulentiæ contranitentia medicamenta, nulli quod Theriacæ anteponendum inventum. Quamobrem ſic concludo: quæcunque præſervant auxilia eadem & curant. Theriaca à peſte præſervat. Ergo & hanc curat. Quod ego vel unicum contra Alexandrinum ſatis firmum & evidens poſitum argumentum ſentio. Sed ad rectum uſum tranſeamus.

Caput VII.

Rectum utriuſque Medicamenti uſum tradit.

I*Nutile omne remedium eſt, imò noxium, niſi rectè adminiſtretur. Cum igitur non omni-*

omnibus omnia, neque quovis tempore quantitate, & eodem modo oblata conveniant, verum usum horum paucis determinabimus. Iis certe qui media sunt ætate & calidius temperamentum obtinent, regione calida degunt, maxime verò pueris & gravidis pernitiosas has antidotos Græci & Arabes unanimiter dicunt. Verùm cum careat lege, quod necessarium, ubicunque fugientis vitæ retinendæ urserit necessitas, magis commodum, quàm damnum ex horum usu sperandum iudico. Et licet inter reliqua anni tempora æstas importunior sit, ubi tamen adsit requirens, idem iudicium esto. Quo autem morbi tempore his tuto & feliciter uti liceat, dignior consideratio. In morbis enim, ubi humorum velut causarum requiritur concoctio & expurgatio, ante non exhibenda. Quanquam & in aliis morbis coctionem non requirentibus, universo prius consulendum, cum omnibus verè Medicis iubemus. Particularius autem, quo die exhibenda, si quæ fuerint morborum accessiones ostendent: quarum principium, augmentum & statum evitare, eligere verò declinationem con-

venit

venit, aliquando & hanc mittere, si morbum habere contingat intervalla. In cæteris ægritudinibus, uti quoque integra valetudine matutinum tempus ob ieiunium idoneum magis æstimamus. Ab hac lege exemti sunt, quos bestia percussit, toxicum corrupit, aut pestis infecit: ii item, qui stupefaciente egent, quibus cum in mora periculum, celerrimè succurrendum. Si ulla verò ars coniecturis nititur, ea ars Medica est, quæ si uspiam magis, circa remediorum quãtitatem suspicax est. Recentes n. cum stupefaciant antidoti exoletæ calfaciant, nimia quãtitate noxiæ. Difficile autem in omni re medium reperire. Tamen sive semel aut pluries exhibendæ, tutiùs erit in defectu, quàm excessu peccare: cum ille suppleri possit, hic non amplius deinceps nostræ sit potestatis. Si quis tamen audax esse vult, id ne venenis, & ubi maturè facto opus est, permittimus. Quã autem morbis aliis & hominib. horum prisci constituerũt mensurã, Aetius & Actuarius produnt, qui maiorẽ quantitatẽ illi assribũt, qui morbo frigidiore, longo & periculosiore detinetur, quiq; temperamenti frigidi ætatis prouectæ, et in regione frigida: minorẽ cõtrario.

Hi idem sæpius & plurimum Theriaces senibus dandum iubent. Vnius drachmæ pondus singulis vicibus Auctuarius decernit: Melancholia laborantibus assiduè propinat: Tussientibus sanguinem, recens tamen ad fabæ Ægyptiacæ quantitatem manè & vesperi: quo pondere & Galenus lib. 5. Methodo, cap. 13. in Romana illa utitur fœmina: quam fabam libri de ponderibus & mensuris autor obulum & semissem pendere scriptor reliquit. In diuturnis affectibus & venenis Auctuarius ad pontica nucis pondus ascendit. In peste Paulus bis die assumendam iniungit. In hydrophobia iugiter hauriendam Auctuarius. Podagricis frèquenter usurpandam offert Galenus. Superest utendi modus. Harum antidotorum si consistentia spectetur, crassior est, quàm ut possit bibi: liquidior etiam, quam ut possit devorari. Græci liquidas magis, solidas Arabes propinant, quæ & apud nos (propter amaritudinem puto) usurpatior exhibendi ratio. Hic sumentis mos, morbi natura & affectus locus attendendus. Sunt qui ad dolorum deglutiones quasi strangulantur: alii contra bolos admittunt, potiones evomunt, plures facilè utramque ferunt.

Vbi exsiccationem morbus postulat, solida; vbi humectationem, liquida conferant. Pariter si in prima corporis regione malum consederit, bolus, ubi in aliis, haustus utilior. Quomodocunque autem offeratur, illo paranda erunt medicamento, quod morbo ipsi una adversetur, & aliquam, si fieri possit, habeat cum laborante particula συμπάθειαν. *Id quod & a priscis factitatum Medicis, tussientibus sanguinem in solidaginis decocto Theriacam Galenus exhibuit: cum vino vulneratis à feris: anhelosis cum aqua mulsa. Ligenosis cum aceto mulso: nephriticis cum petrosolini, Hydropicis cum sisari decocto. Aëtius in vocis vitio cum tragacantha & vino mulso: Paulus intestinorum affectibus, cum aqua calida, aut etiam rhei decocto. Auctuarius in intestinorum ulcere cum aqua Sumach: in epilepsia cum oximel scyllit. Avicenna contra canis rabadi morsum, cum cancrorum fluvialium cinere: contra Scorpionis ictum cum vino: contra flatus cum cimini pulvere: contra morbum regium cum asiari decocto: contra longos lumbricos cum* abor-

abrotano: contra lepram & elephantiasin cum sero lactis. Quæ & nobis in affectionibus curandis imitanda ratio. Atque hæc de Mithridatii & Theriacæ nobilitate, rectoque usu, per summa capita, disputationis ergo scripta sunto.





JANI MATTHÆI DURA-STANTIS,

De

ACETO SCILLINO,

ATQ;

ALOE,

TRACTATUS DUO.

WEN-



WENCESLAO
MAGERLE à SO-
BISSKO,

AD JUDICIA REGNI
BOEMIÆ PROVINCIALIA
ORATORI VIRO OB PRU-
DENTIAM PROBITATEMQ.
nobili & honorando,

D. D.

JESSENIUS.



JAN



IANI MATTHÆI DVRASTANTIS PROEMIUM.



I quidem (ô candide, benigneque Lector) inutilissimum quoddam huius operis subiectum, quod scillinum acetum est, esse censueris; ambo, priùs quàm ad perorationem deventum sit, malè, neque operi, neque mihi, precator; de optima maximaque, Antidoto; & breviter, & indistinctè, & dilucidè, omnia dicturo. Quamvis enim,

tenue,& viliſſimum, fortaſſe quid-piam id genus Antidotum videa-tur; ex tenuibus, ac viliſſimis re-bus, aceto, ſcillaque compoſitum non tamen ob id, tenuem, ac igno-bilem, ab eius uſu humana, cum valetudo, tum vita, conſequitur opem. Ut proinde noſtrarum Poe-tarum Coryphæi carmen ſic con-cinant.

Virg. 4. georg.

In tenui, labor, at tenuis non gloria.

Cùm namque, alia ſecundùm ve-ritatem, alia ſecundùm opinionem proba, vel improba, Ariſtoteles ſint, quarum Hippocrati, illa ſci-re, hæc ignorare, nos faciunt, pro-fectò, vilem quandam rem, ſcili-num ipſum acetum, ac eius eſſen-tiam eſſe, præſe gerit opinio; ve-ritus autem contra eiuſdem eſſen-tiæ, effectus, ac vires, maximum & efficaciſſimum, quidam, exi-ſtere, ſole clarius demonſtrat. *Tan-ti namque ſcillinum ipſum acetum ad ſanitatem, ac vitam, diutiſſi-mè pro-*

Ariſt. 5. ethic. 16. Hipp. in de lege.

mè producendam, ponderis eſt: ut Galeno autore; tum eius autor, Pythagoras; & integrum de eo volumen condiderit, & ad decimumſeptimum ſupra centeſimum, ſuæ ætatis annum, integer, ac nulla unquam adverſa valetudine tentatus, vitam produxerit: tum denique, & non ſolùm omnes Romanorum Imperatores eo ſalubriter uſi fuerint, verùm etiam, quicunque fuerint eadem uſi, longæ vitæ futuri ſint, ac eorum extrema integra ad finem ſint permanſura.

Plin.lib. 9. cap.5.

Gal. 52. de medicin. f. p.248.

Gal. ibid.

Gal. inib.

Diviſio.

Cum triplex ſit in adipiſcenda rerum ſcientia via, ſcilicet, demonſtrativa Hippocrati, diviſiva Platoni, compoſitivaque Ariſtoteli: ego quidem, extremis in præſentia relictis, adque mediã greſſum dirigens; *librum hunc in tria dividam capita, quorũ, primum ſcillini* ipſius aceti cõfectiões habebit, *ſecũdũ eiuſ* dẽ, vires, & effectus, *ultimũ ipſiuſmet*

exhibendi (quæ δόσις Græcis eſt) quantitatem atque uſum. De his autem enunciaturus; primùm latino rei medicæ Autori, qui Plinius eſt, inhæſero; demum Arabibus Medicis; quorum præcipui, Meſues, Serapio, & Avicenna, ſunt, poſtremò & Græcorum Medicorum optimis; qui ſanè, Auctuarius Aëtius, Paulus, Galenus & Dioſcorides.



CONFIRMATIO.

CAP. I.

DE ACETI SCILLINI, TRIPLICI COMPOSITIONE EX LATINIS

Plinius.



Tà latino rei medicæ Autore Plinio, ſumatur initium; dicendum eſt, ſic ad verbum de aceti ſcilli-

ſcillini confectione cum quodam loco fuiſſe locutum. Scillarum in Medicina alba eſt, quæ maſculus; fœmina, quæ nigra. Scilla, quæ candidiſſima fuerit; utiliſſima erit. Huic aridis tunicis direptis; quod reliquum è vivo eſt, conſutum ſuſpenditur lino modicis intervallis. Poſtea arida fruſta in cadum aceti quam aſperrimi pendentia immerguntur ita, ne ulla parte vas contingant. Hoc fit ante ſolſtitium diebus XLVIII. *Gypſo deinde oblitus, cadus; ponitur ſub tegulis, totius diei ſolem accipientibus. Poſt eum numerum dierum tollitur vas, ſcilla eximitur, acetum transfunditur. Hæc Plinius.* *Plin. lib. 20. cap. 9.*

EX ARABIBUS.

Meſues.

E*X Arabibus autem Meſues ſic de ſcillini eiuſdem aceti confectione locutus eſt. Sumito laminarum ſcillæ (& propriè, quæ eius inter, cor-*

pus, & cortices, mediæ sunt } quam volueris, qantitatem. Eas, ligneo stilo, cui filium immissum sit, separatim consuito: & in umbra diebus quadraginta siccari permittito. Easdem postea, & ligneo cultello in frusta redigito, & in singulas earundem libras octonas optimi aceti libras in vitratum arcti orificii vas iniicito, tum probè dictum orificium operculans, tum vas ipsum totidem 40. diebus insolans. *Postremò eadem excolato. Ubi opus fuerit, expresso utitor. Et, ubi festinationis urgeat necessitas; in calidum cinerem calentemve harenam; non subitò, sed alternis horis; vas immergito. Utque Paulus inquit, eiusdem, scillæ, minutiæ â veris initio ad æstatis finem in vitreum operculatum, soliq. expositum vas, immittendæ sunt. Deinde earum expressum exhibendum. Hæc Mesuas.*

Mes. cap. de syrup.

Serapio.

Aceti scillini confectio ex Dioscoride

ide. Scillam albam, sumito, munda-o, cultello ligneo concidito, filo traiici-o (taliter autem, ne segmenta simul nhæreant) Quadragintaque diebus n umbra siccato. Eius, jam siccatæ, ninam unam capito, supraque eam ceti, probi XV. *libras fundito, vas di-ligenter obstruens. Septuagintaq; die-bus humescere sub sole sinito. Deinde, scillam detrahito, probè exprimens, ac expressam abiiciens; acetumq; in vase reponito, Quidam autem, in singulas scillæ minas septenas aceti fundunt li-bras, & excolant. Quidam, scillam haud siccant, immò eam expurgant, parq; eius pondus adiiciunt; sex ean-dem mensibus demittentes. Quod, sic sic confectum: aliis est longe validius. Hæc Serapio.* Serap. sta. 7. cap. 3.

Avicenna.

Albam scillam, mundatam, ac-cipito; ligneo cultello concidito; & fi-lo taliter traiicito, ne eius invi-cem sese frusta contingant: quadra-

gintaque diebus ſub umbra ſiccato. Deinde: ſupra eorum ſiccatorum heminam unam, aceti boni, decem & octo, libras proiicito: & vas probè obſtruens, quadraginta diebus inſolato. Poſtremò, ſcillam exprimito, pannoque excolato. Quipiam autem in ſingulas ſcillæ hemnias aceti libras, ſeptenas, ac ſemiſſem: iniiciunt. Alii verò: ſub umbro ſcillam non ſiccant: ſed eam mundant, & idem eiuſdem in aceto pondus commiſcent, nec non ſex ea menſibus ſic permanere ſinunt. Quod, taliter confectum: aliis eſt longè validius. Hæc Avicennæ.

Avic. lib. 5. ſum. 1. tra[ct]*. 6. c. 8*

EX GRÆCIS

Auctuarius.

S*Cillinum acetum hoc modo conficitur. Scilla, quæ fuerit, alba, repurgata, & conciſa: limo ſic traiicitur, ut ſegmenta ſe mutuò non contingant: & ſuſpenditur in umbra per dies quadraginta; donec ſiccetur. Ex ipſius mina, in*

ta, in optimi aceti duodecim ſexarios nergitur, & vaſe diligenter obturato cto dies ſub ſole madet. Poſt eum dierum numerum, ſcilla exprimitur, & expreſſa quidem ipſa abiicitur. Defecatum verò acetum, transfunditur, ac reponitur. Hæc ille. Actuar. cap. propr.

Aë tius.

Apparatur acetum ſcillinum ſimpliciſſimè hoc modo. Sillæ, repurgatæ, & diſſolutæ, lib. quinque, Aceti ſextarios. XLVIII. ſub caniculæ ardoribus ad. XL. dies inſolato. Ac utitor. Hæc ad verbum Aëtius. Aet. lib. 9. cap. 27.

Paulus.

Habet acetum ſcillite: ſcillæ, candidæ, in minutias conciſæ, in umbra diebus quadraginta exiccatæ, & rurſum purgatæ: minas ſex, Aceti, boni, xeſtas. XII. Sinito dies ſexaginta: operculatoq; vaſe ponito ſub ſolem. Quibus tranſactis: ſcillam expreſſam abiicito, acetum verò excolatum in vaſe repo-

 nito.

nito. Quidam verò ſcillæ minam u-nam in aceti xeſtis ſex, alii autem viridis Scillæ idem pondus in acetum: recondunt etiam uſque ad menſes ſex. Atque adhuc acutius. Hæc ad verbum, Galeni ſimiola, Paulus ægineta.

Paul. lib. 7 cap. 11. part. 10.

Galenus.

Oportet ſcillam montanam, libræ unius pondus capientem; dura circumcidere, & mollia minutatim concidere, & aceti acerrimi ſextarios octo in vitreum vas mittere, atque obturare, ac per triginta dies in caniculæ caloribus, ut maceretur, permittere: Deinde ſcillam extractam exprimere.. Hæc Galenus.

Gal. in de medic. f. p. 248.

Dioſcorides.

De aceti ſcillini confectura, duobus locis, ac multiplici modo, locutus eſt Dioſcorides, videlicet, tam, libro ſecundo, capite centeſimo nonageſimo: quàm libro quinto, capite decimo octavo, ſermonem habens. Priore igi-

tur loco ſic ad verbum habet. *Sumi ſolet ſcillæ mediem, direptis vivotenus tunicis. Quod, fruſtatim conſectum, coquitur; mutata ſæpiùs aqua donec ipſa nec, amaritudinem aut acrimoniam habeat. Traiectaque lino, fruſta: ſiccantur in umbra ita, ut ne ulla quidem parte ſe contingant. His ſcillæ ſegminibus ad oleum, vinum, aut acetum ſcillinum, utimur.* Hæc ipſe. Loco verò poſteriore ſic inquit. *Scillinum acetum hoc modo fit. Scilla, quæ candida fuerit, expurgata, conciditur. Traiectaq; lino, ſegmenta, modicis, ne ſe contingant, intervallis, quadraginta diebus in umbra ſiccantur. Mina eorum, in aceti boni ſextarios duodecim immergitur. & vaſe diligenter operto ſeptenis diebus in ſole madeſcit: Poſt eum dierum numerum, ſcilla, eximitur, & expreſſa abiicitur: defecatumque acetum, transfunditur, ac reponitur. Aliqui ſcillæ minam, quinque aceti ſextariis miſcent. Alii, citra exiccationem repurgantes,* Dioſc. lib. 2. cap. 190.

parem menſuram adiiciunt, & ſenis menſibus macerari patiuntur. Hæc Dioſcorides. Tot igitur, ac tales, ſint aceti ſcillini: tum latinorum Plinio; tum Arabum, Meſuæ, Serapioni, & Avicennæ; tum deniq; & Græcorum Actuario Aetio, Paulo, Galeno, & Dioſcoridi, confectiones.

Dioſc. lib. 5 cap. 17. Ἀναλεϕαλαιώσις.

Singulorum ſententias perpendens ſermo.

Cum ſanè plura ſint in conſcriptis his aceti ſcillini confectionibus animadverſione digna; ideo nonnulla à me jam conſideranda, ac perpendenda, hic veniunt.

Plinianas ſententias perpendens ſermo.

Circa Plinianam igitur eius confecturam tria ſunt animadvertenda. Primum tale ſit. Scillarum ideo, non, nigram, ſeu rubeam, ſed candidiſſimã tantùm; ſcillino ipſi conficiendo aceto utiliſſimam fore, vult Plinius; quod, impenſius illa, remiſſius hæc, ſit, cum Galeno, tum veritati, calida. Veritati

quidem

quidem; nam, ambas tales esse, commonstrat experientia, cui in investigandis propriis simplicium medicaminum temperamentis, est permaximè credendum iuxta illud. Optimum sanè est per experiẽtiam discretam medicamentorum facultate, invenire. In hac enim falli non possis. Hac ipse. Galeno verò: sic enim habet quodam loco ad verbum. Certum, tutumq; non est: de tota medicamentorum facultate ex odore coniicere. Multò minùs de coloribus de medicinarum virtutibus colligere quid valeas quippe: cum in singulis coloribus, calida, frigida, humida, siccaq;: reperias. In quoque tamen singulatim genere, aut seminis, aut radicis, aut succis: ex colore indicationem quandam liceat sumere. Utpote, capa, scilla, vinum: quantò fuerint albidiora, tantò & minùs sunt calida. Quæ verò, subflava, fulvaq;: calidiora. Idem usu venit, tritico, millio, ochris, phaselis, ciceri: iridis, asphodelique, radici: aliisq; compluribus. In quoq; enim genere in Gal. 4. de simp. m. f. 27.

 univer-

Gal. 4. de ſimpl. m. f. 23. *univerſum, fulva, flava, rubraque omnia, ſunt albis calidiora. Vitanda igitur ſunt rubræ ſcillæ ob plurimam talium vehementiam. Nam omne nimium naturæ conſtat inimicum eſſe.*
Hip. 2. aph. 51. *Cùm autem duplici qualitate ſcilla ipſa polleat, videlicet, prima, quæ caliditas eſt: & ſecunda, quæ diſſectio; planè vehemens eſt Dioſc. quo ad primã, aſſerenti vim, acrem, atque ferventẽ,* Dioſcorida lib. 2. cap. 190. *ſcillam habere (nam, acria Galeno calida neceſſario ſunt, nec non ferventia vehementer calida) Galeno autem contra quò ad, ſecundam, non primam:* Gal. 5. meth. 1. *affirmanti facultatem admodùm incidentem, non tamen admodùm calidam, ſcillam habere cum planè ſecundi calfacientis qualitatis ordinis eſſe cenſeatur. Quæ nanq; Secundum qualitatum ordinem non excedunt: leviter ab ipſo talia dicuntur eſſe iuxta illud. Elaterium, ſummè quide amarum; leuiter tamen calidum eſt: ut ex ſecundo ſit excalfacientium ordine.* Gal. 8. ſimpl. 106. *Quocirca, non rubræ, ſed candidiſſimæ, ſint Plinio* Gal. ibid. 98.

ſc ill

scillæ ob aceti scillini confectionem seligendæ. Necnon tum montanæ, quæ potiores sunt, tum messis tempore collectæ; quòd eo tempore præcipuè vigeant. Secundum autem sit eiusmodi Solstitium duplex, æstivum, & hyemale. Cùm autem hoc illud sit dignius (nam hyeme nobilior æstas) utique, de hoc, non de illo, veritati consonum est Plinium intellexisse. Nam à digniori, Phil. teste, fit rerum denominatio. Hinc enim, Poetam, Oratorem, nominantes, latini, Vergilium, & Ciceronem, Græci Homerum ac Demosthenem, per ἀντονομασίαν intelligunt. Adde præterea, scillas ipsas, messis, non brumæ, tempore; quod quidem illo, non hoc, præcipuè vigeant, Galeno colligendas esse. Per messem autem, æstivum, non hyemale, viget Solstitium. Tertium verò sit huiusmodi. Cum Plinius affirmavit. 48. diebus ante solstitium, scilicet æstivum, arida scillæ frusta in aceti cadum immergenda esse, profectò in maiis nonis,

Gal. in de med f. p. 248.
Diosc. in proæm.
Gal. in d. usu ther. a. P.
in Gal. de Ther. a. Pamph.
Arist. 1. cal. 116.

hoc

hoc eſt ſeptima menſis maii die: id efficiundum intellexit. Id autem ſic monſtratur. Quamvis æſtivum ſolſtitium ſeptimo calendas iulias, id eſt, XXV. iunii die, Aëtio fit: octavo tamen calend. iulias, id eſt XXIV. iunii die: æſtiuum quidem eſt Plinio ſolſtitium, ſic quodam loco dicenti. Octavo calendas Iulii, longiſſima dies totius anni, & nox breviſſima: ſolſtitium, videlicet æſtivum, conficiunt. Item alibi. Omnes geminorum, tam ſolſtitiorum, brumalis, ac æſtivi: quàm æquinoctiorum, verni, & autumnalis, differentiæ, fiunt in octavis partibus ſignorum. Bruma capicorni ab octavo calen. Ianuarii ferè. Æquinoctium: vernum arietis. Sòlſtitium æſtivum, cancri. Alterumque æquinoctium, ſcilicet autumnale: libræ. Alibi itidem ſic inquit: Solſtitium, videlicet æſtivum: peragi, in octava parte cancri, & octavo cal. iulii: diximus. Hæc quò ad Plin.

Aet. lib. 3. cap. 174.

Plin. lib. 18 cap. 27.

Plin. ibid. 27.

Plin. inib. 28.

Meſue-

Mesueticam sententiam perpendens sermo.

Quanquam, à veris initio ad æstatis finem scillæ minutias in vase cum aceto soli exponendas esse, ex Paulo elicuerit Mesues; falso tamen id ei ascripsisse videtur. Non enim id temporis, sed sexaginta tamen dies: eas sinendas esse vult Paulus. Ni fortè ex posteriori eiusdem sententia id deprompserit Mesues, in qua Paulus asserit: aliquos viridis scillæ minam unam in aceti xestis sex, etiam usque ad menses sex recondere. Veris enim initium, ac æstatis finem, sex mēsium interitium esse: nullus inficiabitur. Hæc paucula quo ad Mesuen.

Seraptonia perpendens dicta sermo.

Primò, quod ligneo cultello scilla sit concidenda, nemo sanè ibit inficias. Quod verò Dioscoridi id ascribat Seraphio: falso quidem id factum arbitror. Nullam enim in neutro, aut. 190. secundi. aut. 18. quinti: libri capite

(in quorum utroque de aceti scillini confectione locutus est) de tali cultello mentionem fecit Dioscorides. Secundò, quod duodecim Dioscoridæ sextarios in quindecim libras Serapio distraxerit, suspectum videtur. Ni fortasse quindecim unciarum ponderis sextarium Dioscoridi esse, crediderit Serapio. Tertiò, Non quidem septuaginta, (ut ex eo elicit Serap.) sed septem tantùm, diebus sub sole madescere sinendas esse scillas, noluit Dioscorides. Quartò. Non item acetum simpliciter (ut depromit ex Dioscor. Serapio) sed defecatum acetũ: in vase est deniq; reponendum. & hæc quo ad Serapionem.

Avicenneas perpendens sermo sententias.

Primò dicendum: me Palæmone & iudice foret Avicenneam ipsam aceti scillini confectionem penè ad verbum ex Dioscoride fuisse ab eo transcriptam, quamvis huius nomen, non quidem, ut fecit Mesues, utiq; par est

suæ

ua inscriptioni superaddiderit, sed potius reticuerit. Secundò notandum, Scillam eundem albam assumpsisse, quod talis (ut superius monstratum est) nigra, rubraq́ue, & minus acris: & in medicos usus longè probatior ac præstantior sit. Tertio duodecim Dioscoridæ sextarios in decem & octo libras Avicenna transtulit: decem & octo uncias, id est, libram ac semissem, illius sextarium continere autumans. Cùm tamen dioscorideus sextarius interdum uncias decem & octo, interdum uncias viginti, Galeno teste, contineat. Ni fortasse, non de anazarbeo, sed de tarseo, iunioreve, Gal. intellexerit. Plures enim apud ipsum extitere Dioscorides: unus quidē Herophilius cognomento Phacas, alius iunior, tertius Anazarbeus, de quibus omnibus, in Hippocratis linguarum compositionis libri proœmio, & alibi frequenter, est sermocinatus Galenus. Quarto, quod Anazarbaus dixit (aceti sextarios quinque) Avicenna transtulit Gal. in de ponder. c. m. 23.

(ace-

(aceti, libras septenas, ac semissem) autumans (ut dictum nunc est) Dioscoridis sextarium, libram unam, ac semißem: continere, & hæc ex, Avic. & Arabibus.

Aetianam perpendens sermo sententiam.

Quod Aëtius affirmat, scilla quinque librarum ponderi aceti quadraginta octo sextarios admiscendos esse: idem est ac si in quamlibet scillæ librã aceti, libras quatuordecim, ac uncias paulo minus quinas, commiscendas esse voluerit: suppositio (ut suprà) libram, ac semissem: pondere sextarium. Hæc quoad Aëtium paucula.

Aeginetiam perpendens sententiam sermo.

Suam aceti scillini confectionem ex secunda descriptione Dioscoridis dubio procul deprompsisse videtur Paulus. In quibusdam tamen ab eius sententia receßit. Primo enim loco unius minæ, quam adhibuerat Dioscorides,

rides, ſex ipſe adhibet minas: etſi in ſextariis una conſentiant, duodenos ambo coadhibentes. Poſtremò, ſcillam, & acetum, in vaſe recondita, ſeptenis tantùm diebus inſolat Dioſcorides: cum tamen dies ſexaginta Paulus inſolet. & hæc quò ad Paulum pauca.

Galenicas perpendens ſermo ſententias.

Præcipuus poſt divinum Hippocratem rei medicæ Parens, Galenus: in duobus à Dioſcoride transfugit: utique: tam in ſextariorum numero, quos quidem octo vult eſſe Galenus, cùm duodecim adhibuerit Dioſcoridis; quàm in numero dierum inſolationis. Etenim, triginta diebus pergamenæ facienda eſt inſolatio, ſeptenis autem tantùm diebus anazarbea. & hæc quo ad Galenum.

Dioſcorideas ſententias perpendens ſermo.

Quò verò ad Dioſcoridem animadver-

advertendum eſt; geminas eum reliquiſſe aceti ſcillini, deſcriptiones, ac confectiones, quarum, altera, quæ ex ſecundo eius libro elicitur, ex aceto, ac elixatis, ad quæ inſipiditatem lino traiectis, ac in umbra ſiccatis ſcillæ corticibus, fit: altera, quæ ex quinto eiuſdem habetur libro, conficitur ex aceto, ac eiuſmet corticibus, non quidem elixatis, ſed crudis, lino traiectis, itidemq; in umbra ſiccatis. Etenim ſic in ambabus, ſupra conſcriptis, aceti ſcillini confectionibus, eſt legere. Vtriuſq; verò id genus aceti uſum in tertiò propalam capite faciemus. Sic igitur à me iam perpenſæ ſint aceti ſcillini, cùm ex latinorum, atq; Arabum, tùm ex Græcorum libris elicitæ, confectiones. Ad eiuſdem itaque vires progrediamur.

Dioſc. lib. 2 cap. 190. Dioſ. lib. 5. cap. 18.

Ανακεφαλαίωσις.

CAP.



CAP. II.

ACETI SCILLINI, VIRES EX LATINIS.

EX PLINIO.



DE aceti ſcillini viribus primò quidem hæc in univerſum Plinius enunciavit. Nobiliſſima eſt ſcilla, quanquam medicamini nata, acetoq; exacuendo. Nec ulli amplitudo maior, ſicut nec vis aſperior. Duo genera medica, maſculus albis foliis, fœmina nigris, & tertium genus eſt cibis gratum. Epimenidium vocatur, anguſtius folio, ac minùs aſpero, Seminis plurimum omnibus. Unum de iis volumen condidit Pythagoras Philoſophus, colligens medicas vires. Item. Scillarum in medicina, alba eſt, quæ maſculus, fœmina nigra. Scilla, quæ can- Plin. l. 19. cap. 5.

didiſ-

Plin.lib. 2. cap. 10. *didiſſima fuerit, utiliſſima erit. Secundo de eiuſdem aceti facultatibus idem, in parte, ſeu particulari, protulit: hoc videlicet.* Scillinum acetum, clariorum oculorum aciem facit, ſalutare eſt, ſtomachi, laterumque, doloribus: parum ſumptum binis diebus, *Sed tanta ei vis eſt: ut, avidiùs hauſtum, extincta animæ momento aliquo ſpeciem præbeat.* Prodeſt, *& gingivis, & dentibus, vel per ſe commanducata.* Tineas, & reliqua ventris animalia: *pellit ex aceto, & melle ſumpta. Alibi etiam ſic habet.*

Plin. ibid. Plin. l. 23. cap. 2. *Acetum ſcillinum inveteratum, magis probatur, prodeſt aceſcentibus cibis (Guſtatum enim diſcutit pœnam eam) & his, qui ieiuni vomunt: callum enim, faucium facit, ac ſtomachi: Odorem oris tollit: Gingivas aſtringit: Dentes firmat: colorem meliorem præſtat: Tarditatem quoque aurium gargarizatione purgat, & tranſitum auditus aperit: Oculorum aciem obiter exacuit: Comitalibus, melancholicis, vertiginoſis, vulvarum*

ſtran-

ſtrangulationibus, percuſſis, aut præcipitatis, atque ob id ſanguine conglobato, nervis infirmis, renum vitiis, per quam utile. Cauendum exulceratis. Et hæc de aceti ſcillini pro Plinii ſententia viribus, & in univerſum, & in parte, ſint conſcripta.

EX ARABIBUS.

Ex Meſue.

DE *eiuſdem aceti ſcillini facultatibus hæc Meſues habet. Concordes in aceti ſcillini iuvaminibus in multas ægritudines Antiqui fuêre, & eius operationi incubuerunt, necnon, varios, ac famoſos (de quibus iam iamque loquemur) eiuſmet invenerunt operationum modos. Plurima namque eius ſunt manifeſta quidem, in capitis morbos iuvamina. Epilepſiæ enim; vertigini, gingivarumque, & laxitati, & putredini, confert. Dentes firmat, probumq; oris halitum reddit,*

nius validè fœtorem abigens. Ad anhelitus instrumenta, ac vocalē pulmonis arteriam roboranda, multum confert, vocalem lacertum iuvans, ac vocem clarificans. Nutritionis adiuvat partes, ventriculi putredinem abstergens, coctionemque, & appetentiam roborans. Præterea lieni iecinorisque, & stomachi, dolori, nec non expultricibus partibus, opitulatur. Conspicuum namque & vesicæ imbecillitati, & uteri strangulatui, & articulorum morbis, iuvamentum confert. Humorum enim, tum crassitiem tenuat, tum lentorem, abstergit, expulsioniq; habilem reddit. Interdum etiam crassum ac lentum, interimq; & melancholicum, humorem, educit. Corpus absq; putredine & sanum servat, Obesum tamē ac iuvenile ipsum reddit. Idemq; & molle, & laxum roborat. Coloremq; eminet bonum conciliat. Hæc Mes.

Mes. cap. de syr.

Ex Serapione.

Eiusdem sic Serapio facultat

con

conscripsit. Scillinum acetum, ex, non siccatis, perforatis ac mensibus sex in aceto dimissis, corticibus, factum, magis utique, solutivum seu purgans, & fortius est. Molles ac mobiles gingivas ex eo ablutas corroborat; ipsas quidem & coarctans & astringens. Mobiles etiam dentes roborat ac firmat. Insuavem oris odorem, in suavem vehemẽter alterat. Si quid praeterea ex eo absorptum fuerit; vocali pulmonis arteriæ opitulabitur, tam clariorem vocem reddens, quam pulmonem ipsum, & duriorem & firmiorem faciens. Ventriculi, læsioni, coctioniśq; imbecillitati, epilepsiæ, nyctilopæ, vertigini, melancholiæ, desipientiæ, vulvæ, strangulatui, & abscessui, coxendicum dolori, vehementi corporis imbecillitati, ac ægrotationi; coloris fœditati, visus debilitati, atque aurium surditati, non modicum opitulatur, nisi interiora ulcus affligat. Hæc Serapio.

Ser tract. 7. cap. 23.

Ex Avicenna.

Iam & quæ de eiusdem aceti viribus Avicenna scripserit, auscultato. Acetum scillinum ex mundata, non in umbra siccata, ac sex in aceto menses infusa scilla confectum; magis solvens, seu purgans, & validius est. Necnon os ac gingivas, ablutione iuvat; fluentem ex eis sanguinem & humiditatem, propria sui astrictione abscindens. Mobiles dentes firmat. Oris fœtorem removet, eius halitum odoriferum reddens. Pulmonis arteriam devoratum absterget, eiusq; vocem clarificat, & roboret. Præterea ventriculi, dolori & incoctioni, epilepsiæ, scotomiæ, melancholiæ, uteri strãgulatui, splenis crassitudini, Ischiadico affectui corporis mollitiei & ariditati, fædoq; colori, obtuso visui, & asthmati, suppetias fert. Auriumq; in dolore in eas instillatum, sedat. Horum autem omnium singulis remedio existit, ni intrinseca affuerint ægrotantibus ulcera. Hæc Auicenna.

EX GRÆCIS

Ex Auctuario.

DE eiusdem aceti facultatibus hæc conscripta reliquit Auctuarius. Scillinum acetum, humorum lẽtitias incidit; gingivas, humore prægnantes astringit, & corroborat, labantesq; collutum firmat; Dentes mobiles sistit; Fœtẽtem animam, & graves stomachi halitus emendat; Faucium callos sorbitu durat; Ac vocem sic expedit, ut clarior nitidiorq; sonus edatur; Prodest affectis stomacho, cibos ægrè concoquentibus; Item, comitialibus melancholicis, vertiginosis, mente captis, vulvarum strangulationibus, lienis incremento laborantibus & coxendicum vitiis; Recolligendis item corporibus, imbecillitati recreandæ, & resarciundæ virium iacturæ, convenit: Secundam utiq; valetudinem, & vividum colorem, præstat: Oculorum aciem exacuit, Aurium tardita-

tem inſtillatione purgat, generatimq; ad omnia per quam laudatur, niſi inteſtinorum ſentiatur exulceratio. Datur autem per ſingulos dies ieiuno ſorbendum, inter initia modicè proceſſu copioſius, paulatim modo creſcente aduſque cyathum. Quanquam non deſunt, qui cyathos duos & eo amplius exhibeant. Hæc bonus Auctuarius.

Ex Aëtio.

De eiuſmet aceti viribus ſic breuiori ſermone locutus eſt Aetius. Qui ex morbo circa ſeptum tranſverſum inflationem habent, & murmura circa interiora, quique aut inflammata aut inflata habent viſcera, acetum ſcillinum, tum ante, tum poſt, cibum abſorbeant, aut ante ſomnum. Hæc Aëtius.

Aet. lib. 9. cap. 27.

Ex Paulo.

Paulus autem de eo ſic habet. Prodeſt ſcillinum acetum; ad oris fluxiones, ſi eo colluantur, & ad multa

alia

alia interanea, quæ exulceratione vacant, potum. Cæteris itidem compluribus acetum scillinum subvenit. Hæc Paul. Item alibi sic. Materiata gingendis, renum & vesicæ, calculis occasio est, crassus & humosus, terrestrisve humor. Effectrix verò flagrans, renũ, seu vesicæ ardor. Cæterum in renibus, quæ calculos cõminuant, atterant, incidantque, est utendum medicamentis, neque tam immodicè & xcellenter calorificis. Cuius utique farinæ sunt, basiliscorum asparagorum, rubi, graminis, & scolymi radices; concrematum vitrum, adianton, bdellion, lauri radicis cortex, althææ semen, nigrorum cicerum ius, spongiarum calculi, scilliticum acetum, mium, asarum, carpesium, sarxiphagon, siong, præterea, cùm mansum, tum potum, irion prionites. Lavacrisque iugiter utantur, & à lavacro confestim eorum aliquid, quæ commemorata sunt, potent.

Paul l. 7. c. 11. partic. 10.

Paul. lib. 3. cap. 45. part. 1.

Ex Galeno.

Si præterea miras eiuſdem aceti, cùm quantitate, tùm qualitate, mirari facultates volueris, ſecundum poſt divinum Hippocratem, rei medicæ Principem, Galenum, auſcaltato, ſic ad verbum dicentem. Salubre optimum acetum ſcillinum à Pythagora ſcribitur, quo omnes Imperatores uſi ſunt. Ab ipſius Autore fertur quicunque hoc utantur, longæ vitæ fore, & eius extrema integra uſq; ad finem permãſura. Et ipſe quidem Samius ſenex huiuſmodi extitit. Quantum enim temporis vixerit, haud ignoras. De ipſo enim in libro traditum eſt, quod cum ſuis conſanguineis hanc facultatem communicavit. Cumq; hoc medicamento uti incepit, quinquageſimum annum natus erat, & uſque ad centeſimum decimumſeptimum vitam produxit, integer, & nulla unquã adverſa valetudine tentatus. Hæc ſanè medicamenti Autor diſſeruit, qui fortaſſe, Vir Philoſophus, erat

men-

mentiri nescius. Nos autem, viri huius fidei periculum fecimus, ac firmã constantemq; huiusce medicamenti facultatem, esse testamur. Id itaq; genus aceti, parum mane sorbeto. Tibi enim hæc evenient, ut ne, faucium, orisq; partes unquam remollescant. Os ventriculi (στόμαχον *Græci nominant) benè valebit. Facilè spiritum duces. Vox rectè habebit. Oculi acutissimè cernent. Aures in officio manebunt. Nullusq; flatuosus vapor, in ventre unquam excitabitur. Nullum viscus suspensum erit. Benè spirans, benè coloratus deges. Ad civilia negocia rectè affectus, non acidum, non salsum ructabis, si aliquid huius aceti assumpseris. Hoc aceto qui utitur, in victu quamvis licentiosus esto. Omnia enim cibaria conficiet, & à nullo unquam offensam patietur, neque valdè implebitur, sed in melius proficere videbitur. Nihil supervàcui in corpore residebit, non flatus, non bilis, non stercus, non urina. Sed omnia facile excernit atq; educit. Alvus lu-*

brica omninò eſt. Totiuſq; purgatorium corporis eſt medicamentum, etiam ſi in oſſibus ſordes inhæreant. Itē phthiſicos, ab omnibus deploratos, hoc medicamento ſanitati reſtitutos novimus. Morbo comitiali diuturno efficaciter adeo profuit, ut niſi poſt longa temporis intervalla non redierit. Incipientem verò, ac novum, perfectè diſcutit. Neque reverti amplius hunc affectum permittit. Ad podagras præterea, & articulorum morbos: iecoris lieniſque duritias vehementer facit. Et particulares quidem aceti ſcillini effectus hi ſunt. Communes autem quamplurimi. Quibus nos commoti, ſalutare hoc medicamentum ſanitatis integritatiſque cauſa tibi tradimus. Hæc Gal. Ex his igitur facilè haberi poteſt, ſcillini ipſius aceti, tum Pythagoram extitiſſe autorem: tum etiam, & plurimas, & efficaciſſimas eſſe facultates. Unum namque (autore Plinio) de eo volumen condidit Pythagoras Philoſophus, colligens medicas eius vires.

Gal. in de facil e p. 248.

Plin. lib. 19 cap. 5.

Præterea & ſenas alias de aceti mulſi, conſequenterque do aceti ſcillini viribus hic eiuſmet connotato ſententias. Prima. Acetum mulſum (conſequenterq;, immò longè ſatius ac magis, acetum ſcillinum) ſanitatis tuendæ gratia, ætatibus, naturiſque omnibus utiliſſimum eſt. Siquidem obſtructiones omnes diſcutit, aſtrictoſq; meatus ita aperit, ut nulla in parte craſſi glutinoſique humores deprahendantur. Ea propter eius generis medicamina, quæ Medici ſalubria vocant, tenuandi quidem omnia in ſe poteſtatem habent, tutioraq; ad bonam tuendam valetudinem cenſentur, quàm quæ craſſiores humores reddunt, ſed bonam habitudtnem roburque efficere non poſſunt. Secunda. Iis, qui propriè orthopnoici, & aſthmutici appellantur; pharmaca conveniunt, citra calfactionem ſecantia. Et ob id maximè eos iuvat, acetum ſcilliticum appellatum, atque ipſa adeò ſcilla, & acetum mulſum, ex eiuſmodi aceto videlicet ſcillino confectũ. Gal. in de cib. b. c. m. f. 12.

Gal.7.de com.m.ſ. l.22.

Tertia. Acetum ſcilliticum lapidem, in rene, defixum, ac ſubſiſtentem ſimpliciter conterit, cum gramineæ radicis, damaſonis, adianti, polytrichi, ſimiliumq; decocto, devoratum. Quarta. Acetum ſcillinum, lapidem attenuans, & incidens, frangit. Quinta. E ſcilla confectum, acetum, porro, tum calloſas, tophaceaſque, renum conſiſtentias: incidit, tum renes ipſum expurgat. Quinta. Scilla, iris, & quæcunque vincentem amaram in ſe qualitatem habent, ſanè detergunt, ac meatus expurgant. Hæc Pergamenus.

Gal.in de ren.a. d. e. m.8.

Gal.in de ocul.part.5 cap.3.

Gal.5.de ſimpl.m.f. 13.Gal.in ibi,12.

Ex Dioſcoride.

Tametſi de ſcillini huius aceti confectione geminus (ut ſuperiùs monſtratum eſt) & libris, & capitibus, ſermonem habet Dioſcorides, attamen de viribus in unico tantùm locutus eſt quinti libri capite, quod decimum octavum eſt. Ibi namq;, de id genus aceto ſermocinans; hæc de eiuſmet facultatibus ad verbũ enũciavit.

Alii citra exiccationem scillam repurgantes, scillæ minam, quinq; aceti sextariis, miscent; & senis mensibus macerari patiuntur. Id multo magis humorum lentitias digerit; gingivas, humore prægnantes, collutione stringit, & motos dentes firmat, oris, & putredines, & graves halitus, tollit. Durat fauces, & callosas efficit, vocemq; expedit, & limpidam canoramq; reddit. Datur stomachicis, ægrè cibũ concoquentibus, melancholicis, comitialibus, vertiginosis, mente captis. Item, vulvarum strangulationibus, lienis incremento laborantibus, ischiadicisque. Imbecillos admodum recreat. Corpus sanum reddit, & bonum colorem præstat. Oculorum aciem exacuit. Aurium quoque tarditatem infusione purgat. In summa ad omnia efficax. Cavendum tamen, intestinis exulcerationibus, in capitis dolore, & nervorum vitiis. *Hæc Diosc. Hæcque, tam latinus Autor; quàm Arabes, Græciq; Medici. In summa scillinum ipsum acetum, quo quidem ad*

primas ſui, qualitates actioneſque, non valdè calfacit, validè tamen ſiccat. Quò autem ad ſecundas, tum quadantenus, & obſtructa aperit, & cruda coquit, & cocta digerit, tum validè in corporis altum penetrat, craſſa tenuat, lenta diſſecat, inhærentiaque abſtergit, tum rebellia è longinquo attrahit, tum dolorem ſedat, tum denique laxa aſtringit, imbecillaque corroborat. Quò tandem ad tertias, bilem, ueinam, flatur, ſtercus, necnon craſſa, lenta, omniaque ſupervacua, eximit & purgat (eſt namque totius corporis purgatorium) ipſumque corpus à putredine ſervat, laxa, molliaque corpora cogit, & roborat. Corporis ariditati ſuppetias fert. Percuſſis ac præcipitatis, eſt auxilio. Vehementi corporis, & ægrotationi, & imbecillitati ſubvenit. Crapula citra læſionem homines uti, molitur, & iuvenile corpus efficit. Præterea ſcotomia ſeu vertigine, tentatis, manum porrigit. Melancholicis opem fert. Comitialibus opitu-

opitulatur. Desipientiæ succurrit. Iucundum vultum colore induit. Oculorum aciem exacuit. Nyctilopæ est ex usu. Aurium & dolorem mitigat, & surditatem adimit. Ori fœtorem aufert, iucundumque halitum affert, Faucibus, callum, & robur inducit. Gingivas, tum ab humiditate, putredine vindicat, tum etiam durat. Motos dentes firmat. Anhelitus instrumenta, vocalemque pulmonis arteriam corroborat. Obtusam vocem clarificat. Orthopnœam, & asthma curat. Deploratos phthisicos sanat revocatque. Nutritioni destinatas partes, id est, ventriculum, & iecur coadiuvat. Necnon, tum stomacho, id est ori ventriculi, dolorem adimit, & callum, bonamque valetudinem ingerit, tum ventriculi ipsius, appetitricem, concoctricemque facultatem corroborat. Acidos, salsosque ructus emendat. Putredinemque extergit. Inflammatis, inflatisque visceribus opem fert. Iecinoris item, & lienis, scirrhum,

emollit

emollit, & dolorem lenit. Renum & veſicæ vitiis utile eſt. Earundemque partium, non calloſas, tophaceaſque, tantum conſiſtentias, ſed etiam calculos, lapideſq; incidit, atterit, atq; comminuit, ipſosque renes optimè expurgat. Expultricibus partibus conducit, Uteri ſeu vulvæ, tam abſceſſui, quàm ſtrangulationibus auxiliatur. Laterum dolorem ſolvit. Alvum lubricam eſſe facit. Eiuſdemque, & flatus diſſipat, & tineas, reliquaq; animalia enecat educitq;. Præter hæc, infirmos nervos firmat, Arthritidem aufert, Iſchiadico affectui fert opem, & podagram curat. Quamvis autem id genus acetum omnia quidem hæc, & tanta & talia bona commoliatur, attamen (quod difficile Galeno, ſit eiuſmodi aliquod auxilium inveniſſe, 11. *meth.* *m.* 11. *quod citra noxam ullam magnificè proſit) contra,* & obeſum corpus reddit, & capitis dolore lancinatis obeſt; & interaneis, abſceſſibus, ulceribuſque affectis adverſatur, & nervorum vitio laborantibus incommodum

modum eſt, & avidius hauſtum, syncopam invehit. *Hæ igitur ſint ſcillini huius aceti vires.*

Sententias perpendens ſermo.

Exhibendum quidem acetum ipſum ſcillinum in omnibus hiſce corporis abigendis affectibus audacter eſt; dummodo corpus ipſum affectum (*ceu ſupra dictum iam fuit*) neque capitis dolori. neque lipothymiæ, ſeu extinctæ animæ, neque internis ulceribus, neque nervorum vitiis, actu iam ſubditum, aut ſaltem obnoxium, ſit (*adde*) & adhuc craſſa lentaque ſit pituita refertum. *Capitis utique dolori, nam acetum ipſum ex ſe quidem proprio acumine exaſperat, & dolorem concitat. Lipothymiæ autem, ſiquidem avidè, & abundè ipſum devoret patiens, iuxta Plinii illud. Aceto ſcillino tanta vis eſt, ut avidius hauſtum, extinctæ animæ momento aliquo ſpeciem præbeat. Huiuſmodi igitur effectus eiuſ-* Cautela. Gal. 3. de com. m p. g. 2. & 1. de ſimpl. m. f. 33. Plin. lib. 2. cap. 10.

modi

modi quippe sit, causa ac ratio. Quæ mordicant, acutè sentientes, corporis partes lædunt. Scillinum acetum mordicans est. Scillinum igitur acetum, acutè sentientes, corporis partes lædit. Consequentiam hanc nemo quidem inficietur; in primo vel tertio, primæ figuræ modo subsistentem. Prior autem propositio ex hoc vera esse monstratur; quod mordentia ipsa, & sui mordacitate dolorem, acutè sentientibus, partibus ingerant, & earundem ideo vires resolvant, iuxta Gal. illud. Quæ facilè sentiunt, acria medicamenta non tolerant, sicuti neque etiam humores. Quæ acuti sunt sensus, partes, earum vires dolore resolvuntur. Vires enim omnis, exsolvit ac evertit dolor. Secundæ verò sententiolæ veritas ex his vel facilè patet, quod tum scilla vim acrem, atque ferventem habeat, tum acetum ipsum per se, ac syncerum, mirum in modum exasperet, utpotè tenuitate, erodens ac dolorem excitans. Aceti namque

Gal. 2. Ad Glauc. 2. Gal. 7. meth. 13. Gal. 3. reg. a. 33. Diosc. lib. 2 cap. 190. Gal. 1. de simp. m f. 33.

que substantia in partium illarum, quod tenuis sit, profundum immermergitur, atque in omnes ita irrumpit earum partes, ut ne minimum quidem ex illis illæsum maneat. Præterea scillinum acetum, acutè sentientes, corporis partes lædit. Ventriculi os (à plurimis propriè stomachus, aq̃ue aliis cor appellatum) acutè sentientibus, nervis constat. Ventriculi igitur os, stomachus, & cor nuncupatum; scillinum acetum lædit. Consequentia ut superior nota est. Maior autem antecedentis syllogismi vi iam demonstrata fuit, ipsius existens conclusio. Minor verò ex hisce Galeni commonstrari vel facilè sententiis potest, quarum prima talis est. Ventriculi hostium, nervis quam plurimis constat, & acutè sentit. Secunda verò talis. Ventriculo, atq; eius ori, plurimus inest sensus. Apparent enim nervi maxima sui parte in utrumque prorumpere. Ob eamq; causam vẽtriculi pars hæc acutissimo quidẽ est prædita sensu. Ventriculi autem ipsius os &

Gal. 3. reg. a. 39.
Gal. 1. a. reg. a. 18.
Gal. 3. de Hipp. e. P. d.
Gal. in lib. Quos per e. q. m. e. q. t
Gal 9. de usu. p. c. h.

& ſtomachus, & cor appellatum, ab aceto ſcillino læſum, ægrotantem ipſum vel facile in ſyncopam ipſius, tum contactu, tum acredine, tum contriſtante qualitate, præcipitem agit.

Ariſt.7. phyſ.11. Aver.inib. *Contactu quidem, nam in omni alteratione, neceſſario ſimul cum alterato exiſtit, atque ipſum tangit alterans. Acredine autem, hoc eſt mordacitate iuxta Gal. illud. Cum acris ſeu mordens, humor in ventriculi ore continetur, ſæpiùs animi defectum patiuntur ægrotantes. Item.*

Gal. 2. Ad Glauc. 2. *Cum humorum acrimonia ventriculi os proritat, & mordet, flavaq; bilis in ventriculum confluit, tunc ab eis irritati & morſi,*

Gal. 3. de Hipp. e. P. d *homines cordis dolore laborant. Contriſtante verò ſeu affligente qualitate, etenim ſic habet Gal. Virtus exolvi videtur, cum os ventris ita affligatur, ut ſyncope inſultet. Idque vel propter gravantis alimoniæ multitudinem, vel contriſtantem quandam ipſius qualitatem. Nempe hæc virtutem*

Gal. 2. reg. a. 47. *celerrimè, tùm fatigant, tum diſſolvunt. In ſumma ſcillinum ipſum*

ace-

acetum, avidè, largè, & abundè, devoratum, extinctæ quidem animæ, hoc est, lipothymiæ, vel syncopæ, momento aliquo speciem præbeat, stomachum, hoc est ventriculi ipsius hostiolum, sui contactu, mordens, ac vellicans. Avidius autem pro largius, Plinium intellexisse, nemo in assidua eius lectione exercitatus, inficietur. Nam & Gal. itidem de largiori, iuniperi fructuum palmarum, ac betarum, commestione locutus est. De iuniperi nanque fructibus hæc habet. Iuniperi fructum si quis largius sumpserit, stomachum mordet. De palmis autem sic asserit. Palmæ, si largius edantur, morsus cuiusdam sensum ori ventriculi inducunt, quod Medici stomachum appellant. De betis verò pariter sic. Beta stomachum interdum mordicat, iis præsertim, quibus exactiore est sensu natura præditus. Obque id edulium id stomacho est noxium, si largius sumatur. Itaque propinandum aliquo, superius conscriptorum affe-

Gal. 2 de alim. f. 15

Gal. ibid. 26.

Gal. inibi. 43.

ctuum laboranti scillinum acetum est, si neque capitis dolori, neque lypothymiæ, seu animæ deliquio, vel actu iam subditus, vel saltem obnoxius æger sit, *Prætereà, nisi etiam ulceribus, aut nervorum vitiis. Internis quidem ulceribus, nam acetum ipsum, per se, & syncerum, nedum scillæ commistum; ulcera ipsa mirum in modum exasperat, utpote tenuitate erodens, ac dolorem excitans. Ipsum igitur caveant quicunque, renum, vesicæ, intestinorum, intrinsecisúe; laborant ulceribus. Nervorum verò vitiis; etenim, quod acetum suaptè natura nervos offendat, testatur experimentum, & ratio demonstrat. Nervi enim exangues sunt, & ideo frigidi, facileque ab iis, quæ refrigerant, simul & tenues habent partes, afficiuntur medicamentis. Læduntur præterea & à reliquis refrigerantibus omnibus. Sed aceti, quod tenuium partium sit, substantia; in eorum*

Gal. 1. de simp. m. f. 33.

rum

rum profundum immergitur, atque in ipsorum omnes ita irrumpit partes, ut ne minimum quidem ex eis illæsum maneat. Sic igitur acetum nervosas offendit partes. Hæc omnia Galenus. Postremò si adhuc crassa lentaque, corpus ipsum sit pituita refertum. Nam ea iam ipsius vi, tenuata, dissecta, & exacta, ab eius usu abstinendum est, præsertimque si gracile corpus ipsum sit, ne deinde longo eius abusu gracilior fiat, inque hectica febris, marasmum, ac tabis, affectum commigret. De scillini igitur aceti viribus hæc sint conscripta. Gal 3 regim.a.39.

CAP.



CAP. III.

DE CONGRUO ACETI SCILLINI usu.



Enera ſeu prædicamenta, quæ quidem elementa Quintilianus appellat, decem cum Peripateticis ſint, videlicet, ſubſtantia, quantitas ad aliquid, ſeu relatio, qualitas, actio, paſſio, ſitus, ſive poſitio, habitus, ubi, & quando, ideo de aceti ſcillini uſu collocuturi, ſecundum eorundem & ſubſtantiam & quantitatem, & relationem, & qualitatem, & actionem & ubi & quando ſermocinabimur. Etenim paſſionem, ſitum, & habitum, ſponte conticeo. Iam igitur à ſubſtantia auſpicemur initium.

Quintil. l. 3. cap. 7.

Sub-

Subſtantia.

Quemadmodum in priori libri huius capite ſuperiùs monſtratum eſt; duplex eſt ſcillini ipſius aceti Dioſcoridæ ſubſtantia; quarum altera, ex crudis ſcillæ corticibus fit, de qua lib. 5. ſermonem habuit, altera ex valde coctis, de qua libro ſecundo. Inſuper adderem ego & tertium, ex eiuſdem ſcillæ corticibus, modicè ſeu mediocriter coctis, ut tale medium ſit inter primum ex crudis, ac ſecundum ex immodicè coctis, eius ſegminibus factũ. Commodioris tamen ſermonis gratia triplex eſſe ſic ſupponatur, ut primum ex crudis, ſecundum ex medioriter elixis, & tertium ex immodicè coctis, corticibus conſtet. Quamvis autem ex crudis non coctis, ſcillæ corticibus ut plurimum fieri ſcillinum ipſum acetum noſtro hoc ævo ſoleat, equidem tamen abs re nequaquam eſſe autumo, ex diſcoctis, hoc eſt, valdè elixatis, ipſum in medicos plures uſus confici debere (ut in dicto iam libro Dioſco- Dioſc. l. 5. c. 18. Dioſc. l. 2. c. 190.

rides præcipit) qui quidem usus inferius propriis à me conscribendi sunt locis. Etenim cũ scilla crudior (Diosc. teste) vim, adeo acrem, atq; ferventem habeat, ut scillinum acetum ex tali confectum, & avidiùs haustum, extinctæ animæ ob maximam sui vim (Plinio autore) speciem referat, profectò (Galeno asserente) præstat, aut assam aut elixam, scillam sumere. Sic enim virium eius vehemenia exolvitur. In summa, assatam scillam multò utiliorem esse constat, vel saltem non modicè utilem: ut inferius commonstrabitur. Adde præterea & aliã eiusdem aceti, tàm ex crudis, quàm ex coctis, scillæ corticibus confecti, substantiam seu consistentiam, compagemq;, id est, tenuitatem. Tenuissimum enim ipsum esse ideo constat, quod quidem ea, ex quibus constat, sint tenuissima. Acetum enim Galeno subtilissimum existit; affirmanti, cyrenacium succum calidorum, acetum autem frigidorum, tenuissimum esse. Præterea & scilla pariter censenda est subtilissima, quòd

Diosc. l. 2. c. 190.

Plin. l. 2. c. 9.

Gal. 8. de simpl. m. f. 105.

Diosc. l. 2. c. 190.

Gal. 3. de comp. m. p. g 2.

quod quidem, & dissecantia Galeno tenuia sint, & admodum incidentem, eimet scilla facultatem obtineat. Et hæc de triplici scillini ipsius aceti substantia. Gal. 7. simpl. 2. 12 Gal. 8. simpl. 106.

Quantitas.

De exhibenda id genus aceti, quæ δόσις græcè nominatur quantitate, varii sanè varia scripsere. Ex latinis enim de ea sic dixit Plinius (parum, binisq; diebus ex aceto scillino sumendum est) nullam quidem individuam nobis determinās eius dosim, seu quātitatem. Ex Arabibus autem sic primò Mesues habet. Bibendum quidem ieiuno quotidiè est aceti scillini parū, donec ad unciam unam ac semißem perveniatur. Ac si quidem à semunciola ad unciam, atque uncia ad unā, ac semissem, voluisset perveniendum esse Mesues. Secūdò Serapio hæc scripta reliquit. Aceti scillini sorbere quotidiè ieiunus debet, primò semunciā, secundò paulatim plusculum, hoc est, unciam integram, donec ad unciam unā ac semißē deveniatur. Quidā tamen Plin. l. 20. c. 9 Mes dist. 6. c. propr.

Sera. trac. 7.cap.23. par.pro.

men tres eiusdem propinare solent uncias. Tertiò Avicenna sic. Ex aceto scillino bibendum quotidie ieiuno parum, donec ad unicam unciam ac semissem gradatim perveniatur. Vt in summa (quemadmodum & Mesues) invenerit, à semuncia ad unciã, atque hac ad unam cum dimidia, gradatim eundem esse. Ex Græcis verò primò hæc protulit Galenus. Aceti scillini parum manè sorbeto. Et ieiunus ut ussumas, præcipio. Quantitatem autem ideo non determinasse videtur Galenus, quoniam cum nulla sit in arte medica, nec res, nec medela, quæ speciei dicibilis non sit planè, quod nec dici, nec scribi, nec omninò præcipi potest, id quantitas in quoque est. Nihil enim æquè medicam artem in agendo coniecturalem effecit, ut cuiusq; remedii quantitas. *Etenim cũ frequenter cõpertũ habeamu tempus instare exhibẽdi, aut cibi, aut eiusq, ut calidi aut frigidi, quantũ tamen dandum sit, certò haud novimus. Idem usu venit in purgantibus, & alterantibus*

Avic.lib.5 sum.1.tr. 6.cap.8.

Aét. lib. 9. cap.27.

Gal. in de medicin. s. p.248.

Gal.3. meth.3.

Gal.in de curan.r.p. s.m.

bus medicinis. Poſtremò & hæc ad Gal. inibi.
verbum Dioſcorides inquit. Scillinum acetum detur ad ſorbendum, inter initia exiguum paulatim augendo ad cyathum uſque. Nonnulli binos dant cyathos aut largius. Eſt autem Diaſc. l. 5.
Dioſcoridi humentium cyathus ſexta c. 18.
pars heminæ, hoc eſt, vel unciæ duæ, & ſcrupulus unus, vel potiùs contra, uncia una, ac ſcrupuli duo. Nam hemnia
ſeu cotyla, decem uncias pendet. Ni Gal. in de ponde. e. m.
forsan id genus caput à Galeno inſcri 13.
ptum. De humentium Dioſcoridæ Gal. ibid.
ponderibus, alterius Dioſcoridæ, quàm à Anazarbei, hoc eſt, Tarſei, ſiue antiquarum Hippocratis lectionum innovatoris, aut alius ſit. Plures enim fuêre apud Galenum Dioſcorides. *Ut in ſumma (ſuppoſito, de Anazarbenſi in dicto capite Galenum forſan intellexiſſe) voluerit Dioſcorides: à modica ſcillini ipſius aceti aſſumptione, vel ad uncias quatuor ac ſcrupulos duos, vel ad uncias treis, & ſcrupulum unum, aut etiam ad plus, eſſe ab aſſumente deveniendum. Ut autem &*

 meam

Autoris opinio circa dosim.

meam equidem in propatulum hic opinionem circa scillini eiusdem Antidoti dosim in præsentia ponam, hac subdenda censeo. Hominum tum quidem, alii quo ad temperiem, humidi, id est, sanguinei, pituitosive sunt; alii contra, sicci, videlicet, melancholici, picrocholive; tum quo ad habitum, alii obesi seu pingues, alii graciles seu macilenti. Talium itaq; scillini ipsius, tàm humidis, quàm etiam crassis seu pinguibus plus; conversoque tàm siccis, quàm gracilibus, minus exhibendum est. Quamobrem (ut ex universalibus ad particularia deveniatur exempla. Sic enim absolutissima fiet Galeno teste doctrina) cùm ego quidem, Picenum quem vocant olim agrum incolens, nobilissimi Viri, præstantissimique Iurisconsulti, Ioannis Pelicani, Antonii Francisci quondam filii, Advocatorum Maceratensium & humiditatem siccandam, & obesitatem attenuandam, vel facilè suscepissem; obq; id medicinale. De attenuante per sex genera, necessario corpus

Arist.1. phys.2. Gal.6.de sanit.t.

alteran-

alterantia, victu consultum, composuissem, adq; eum dedissem, ei sanè, quod & intemperie sanguineus, & una obesioris habitus esset; à quatuor scillini ipsius drachmis ad quinas, aq; bis ad senas pedetentim deveniendum sic præcipi, ut, priore eius assumptionis anno, *qui fuit 1565.* quaternas tantùm eius devoraret semel in singulas hebdomades drachmas, secundo autem anno, *qui fuit 1566. quinas in singulas tamen hebdomades bis, per totum verò felicissimæ eius vitæ curriculum senas, inq; bis perpetuò cõsisteret, interdum itidem bis in hebdomade, interim diebus alternis ingerens; necnon Iunium, Iulium, & Augustum præcavens.* Non enim ab initio efficacissima remedia adhibere, sed à debilioribus auspicari convenit. *Ni fortè noxius humor, (aut potiùs ægrotans corpus) turgeat, hoc est, ille de parte in in partem dimoveatur, hoc tali, sic mobili sit oppletum. Etenim tunc eadẽ quidem est protinus die medicãdum.* Gal. 2. catatop. 26. Hipp. 4. aph. 10.

Fas autem sit, tanto taliq; & quod externis fortunæ, & cum corporis, tum animi, internis affatim bonis polleat, Trismegisto viro, in medicinalib. me præcipisse, cui sanè, & patrono & Mecœnati meo fas quidem est in omnibus, ubiq; & semper mihi, sedulò iussa capessenti præcipere. Contra verò: tam melancholica vel potius atribilaris dignissimi viri, præcellentissimique Iureconsulti, Francisci Iardini, Simonis olim nati, civitatis eiusdem pariter Advocatorum, intemperies, quàm & gracilitas, longè sanè minorem expostulant scillini eiusdem Antidoti quantitatem. Ei namque consulendum existimarem; ut à geminis tantùm eiusmet scillini drachmis ad ternas, à que his ad quaternas, eodem ordine progredietur. *Est autem & præstantissimus & felicissimus hic vir, tum quidem alter, Mecœnas, & Patronus meus, tum anima mea, fortunæ semper gladio lancinatæ; alterum à Pelicano, patavinorum studiorum consocio, levamen ac viridarium.*

rium. Præterea Jacobo Triſſino Cogienſi, *iuveni quidem & nobilitate & ingenii acumine, & plurimarum rerum ſcientia, & comitate, præditiſſimo, necnon amicorum obſervantiſſimo, patavinoq; in Gymnaſio legum ſcholari*, quod intemperie picrocholus, habituque gracilis eſſet, deque craſſa lentaque pituita ſibi quidem ob immoderatas lucubrationes ingenita, mecum olim amicè (*ut fit*) conquereretur, eiuſdem medicaminis, ab unica drachmula ad duas, aque duabus ad treis progrediendum eſſe reſpondi. *Quamobrem eius deinde relatu, indies ſalubriorem, intus & incute valetudinem præ ſe fert*. Poſtremò & Petro Antonio Lazarino *Murrenſi nobili, ſpectataq; cum indolis, tum vel maximè probitatis, & ſcientiæ, iuveni; inq; eodem Gymnaſio, Philoſophiæ, Medicinaque ſcholari*, quod moderatiore, adque ſymmetriam quadantenus accedente, tam temperamento, quàm habitu ſit; ad humidiuſculū

tamen & crassiusculum parumper inclinans: equidem à tribus drachmis ad quatuor, àque his ad quinq; in anno priore, secũdo, reliquisque eundem existimo. *Sic enim modiculam illam superfluam humiditatem siccando reprimet, adq; symmetriæ vexillum tàm temperamentum, quàm habitum diligentia tuba, ac industriæ tympano revocabit. Hæc in summa de aceti scillini quantitate seu dosi.*

Relatio, Qualitas, Actio,

Cum dictum iam in aceti scillini substantia fuit, triplicem ei esse substantiam, utique, primam ex crudis, secundam ex mediocritèr coctis, ultimam ex immoderatè elixis, ipsius scillæ corticibus resultantem; nempè talis eius substantia considerata à me fuit quatenus aut crassior aut mediocris, aut tenuior ex talibus consistentia provenit. Quanquam enim, & Dialecticis, & Philosophis, substantiæ quidem, tum primæ, hoc est, individuæ sunt, quæ neque de subiecto aliquo dicuntur

cuntur, neque in subiecto aliquo sunt; ut aliqua substantia, tale corpus, hoc animal, Socrates, tum secundæ, videlicet species, in quibus speciebus illæ, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt; veluti corpus, animal, homo, leo, delphin, aquila, salamandra, tamen à Medicis aliter interim considerari solent. Etenim cum qualitates sensibiles, quibus invicem corpora differunt, aliæ primæ Peripateticis sint, quales sũt, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, aliæ secundæ ex illis provenientes, veluti raritas, densitas, gravitas, levitas, durities, mollities, crassitudo, tenuitas, & huiusmodi: profectò qualitates id genus, secundæ substantiæ à Dogmaticis interdum appellantur iuxta Gal. illud. Propriæ animalis differentiæ sunt, mortale, & immortale, mansuetum, & ferum, aliaque id genus. Molle verò, ac durum, grave, & leve, rarum, ac densum, magnum, & parvum; animalis differentiæ non sunt, sed substantiæ. In præsenti verò

Arist. in prædicam. c. de subst.

Arist. & Aver. 7. phys. 12. 14.

Gal. 1. meth. 3.

hoc capite ſcillini eiuſmet aceti, tàm valida, mediocris, imbecilla, caliditatis, & ſiccitatis, quàm intenſa, media, remiſſa, tenuitatis & craſſitiei, quà planè aut intenſiùs, aut mediocriter, aut remiſſiùs, hæ in nos agunt, à me fiet conſideratio, id eſt, quatenus prima ſecunda, ac tertia, eius tàm caliditas, & ſiccitas, quàm tenuitas & craſſities, in tali vel morbo, vel temperamento, vel aëre, fortiùs, mediocriter, aut imbecillius agunt. Ut tria in præſenti me capite, genera, ſeu prædicamenta, relationem, qualitatem, & actionem, non ab re coniunxiſſe ſit legentibus apprimè clarum. Etenim caliditas, frigiditas, tenuitas, & craſſitudo; Primum, quæ tali morbo temperamento, & aëri, non autem eorum oppoſitis conveniunt, relationes ſeu relativæ quadantenus ſunt. Demum quatenus ſecundum eas quales dicimur, ut calidi, frigidi, tenues, craſſi, qualitates exiſtunt, quæq; ab aliquibus paſſionibus innaſcuntur, aut ſecundum ſenſuum qualitatem paſſionis

Ariſt. in qualit. & Gal. 11. meth. 13. & in de curan. r. p. ſ. m. Ariſ. inibi.

nis perfectivæ sunt, passibiles qualitates dicuntur. Postremò quatenus, intensa, media ac remissa, caliditas, frigiditas, tenuitas & crassities, intensè, mediocriter, aut remissè, morbum, temperamentum & aerem, in contrarium agunt (agit enim quidq; in contrarium, & à contrario) actiones seu activæ sunt. Activæ autem quatenus, cum formæ, tum compositi, instrumēta sunt. Nam quemadmodum & passionis principium materia, & id quod patitur, compositum, propriè sunt, ita contra, tum actionis principium forma, tum quod agit, coniunctū existunt iuxta illud Actus & generationes sunt singularium. *Item Non generatur forma, nec materia sed σύνολον, id est, integrum, sive universum. Itidem. Non quidem anima miseretur, addiscit, intelligit, sed homo. His præmissis subdendum est, tres esse medicatorias, quas Dogmatici nominant indicationes à morbo, temperamento, aere, depromptas. De quarum prima ac secunda, cong[...]us*

Gal. 5. meth. 3.

Arist. 1. metaph. in proœm.

Arist. 7. metap 26. 27.

Arist. 1. de anim. 64.

Gal. 9. meth.14. *à me coniunctim fiet in præſenti capite ſermo. De tertia verò in ubi, & quando, diſiunctim.*

Præternaturales affectus tres eſſe.

Tres utique ſunt præternaturam affectus in corpore, cauſa, morbus, & ſymptoma (ut dixerim accidens. Nam ſanis quidem nobis accidentia, agrotantibus ſymptomata, nuncupantur) Gal.2. meth.3. Cauſa, veluti, humorum noxiorum, Gal.1. meth.9. *redundantia, vel corruptela, id eſt,* Gal.2. meth.3. *plethoria, vel cacochymia. Nam, ubi inter ſe æqualiter ſucci ſunt adaucti, id & πλῆθος, & πλητῶραν, Græci vocant, nos plenitudinem & ſuccorum redundantiam dixerimus. Ubi verò, vel flava nigrave, bili vel pituita, vel ſeroſis humoribus, refertũ corpus iam fuerit, eum habitum κακοχυμίαν, quaſi ſuccorum vitium dicas, non plethoram, nominant. Morbus ut* Gal.13. meth. dist. 2.cap.3. *tum febris, ephemera, putrida, hectica tum, phlegmone, eryſipelas, œdema, ſcyrrhus, ulcus. Symptoma, ut malus*

color

color, gracilitas, somnus, insomnia, capitis dolor, eiusve gavedo, & similia. Gal. 2. meth. 3. Gal. inibi.

DE MEDICATORIA INDICATIONE, EX MORBI CAUSSA deprompta.

Causa simpliciter dicta, illud Philosophis est, à quo, ex quo, cũ quo, & ob quod aliquid fit. A quo ut agens. Ex quo, veluti materia. Cum quo, ut forma. Ob quod veluti finis. Causa autem, secundum quid hoc est morbo relata, seu morbi causa, est id, quo tangente afficimur, & quo separato quiescit affectus. Causa verò medica duplex Medicis est, utique externa & interna, iuxta Gal. illud. Causæ morbificæ sunt genere duplices: nam hæ sunt externæ, illæ ex nobis ipsis propagantur. Externæ causæ animantium corpora lædunt, quia vel intemperiem aliquam creant, vel contundunt, vel incidunt. Internæ verò Arist. 5. meta. 2. Gal. 1. de loc. a. Gal. 2. de Gum n. 6.

causæ

cauſæ humores quippè ſunt, nos vel quantitate afficientes, ut in plethoricis, vel in qualitate veluti in cocochymis. Ex nobis enim ſi abundent humores, ſcatent morbi. Externæ cauſæ primitivæ quidem, & procatarchiticæ à Recentioribus appellantur. Has autem ſilentio hic præteribimus. Nulla enim externarum vel primitivarum cauſarum, curationis eſt indicatrix. Ad internas itaque devenientes (hæ ſiquidem propriæ veraq; morborum ſunt cauſæ. Pro comperto autem habendum non poſſe ad perfectionem ullum affectum ſanari, manente adhuc ipſa, unde natus eſt, cauſa) dicamus, humani corporis humores ut plurimum tales cauſas eſſe iuxta illud. Quæ morbos faciunt cauſæ; humores ſunt, ut Galenus affirmat. Humores autem id genus ſunt quinque, videlicet, tum ſanguis, tum flava, ac nigra, bilis, tum pituita, tum deniq; & ſeorſum ſive aqueum extrementum. Bilis flava, alia planè flava exiſtit, alia æruginoſa, alia cærulea, alia rubens,

Gal. ibid.

Gal. 4. meth. 13.

Gal. 7. merg. 12.

Gal. in lib.

Gal. contra e.q. à. Iul.

Gal. 1. de elem. & 2. aph. 37. &

bens, seu vitellina, alia prasina. Bilis atra duplex est, altera ex sanguine crasso seu sanguinis fece, proveniens, quæ, dum naturaliter animal se habet, quotidie gignitur, & propriè quidem, non atra, nigrave bilis, sed melancholia, & melancholicus humor appellatur; altera ex flava bile superassata fit, quam contra, non melancholiam, vel melancholicum humorem, sed atram ac nigram, proprie nominant Medici bilem. Pituita verò quædam salsa est, quædam dulcis, quædã acida, quædam nullam habẽs insignẽ qualitatem, hoc est, insipida quadam vitrea. Cæterum sanguinis omniũve æqualiter humorum coacervatio ple thoram, utriusq; verò bilis pituitæ & seri redundãtia cacochymiam in affecto corpore (ut paulò ante dictum est) efficiunt. Cum igitur interna morborũ causæ, plethoria inquam, & cacochymiæ, quini id genus humores sint, profectò & adimendi, & per propria singulorũ contraria corrigendi, omnes sunt iuxta Gal. illud. Quisquis morbum

6. aph. 47. & in de cur. r. p. s. xi.

Gal. 1. de nat. h. 6.

Gal. 14. meth. 9. & 3. aph. 22. & 6. aph. 53.

Gal. 1. de hum. n. 33.

Gal. 3. de loc a.

Gal. 13. meth. d. 2. cap. 3.

bum

bum sanaturus est; hic simul causam eius adimat, oportet. Causam verò adimi oportebit, propria cuiusq; naturæ inventa contrarietate. Cùm autem, interim simplicem, interim compositam, hanc esse contingat, nec non qualitatum, aliæ primæ sint, aliæ non primæ, profectò quo ad, tam simplicem contrarietatem, quàm primas qualitates; caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, refrigerantibus, calfacientibus, exiccantibus, & humectantibus sunt curãdæ. Quò autem ad eandem simplicem contrarietatem, & qualitates non primas; utiq;, si ex frigida causa stipatum densumq; redditũ corpus sit; eo relaxato, omniq; ratione rarefacto. Sin ex obstructione ita sit affectum, hac reclusa. Vbi abundantia humorum adsit hos vacuabis. Ubi crassi fuerint & glutinosi, tenues eos, & fluxiles efficies. Etenim sic habet Gal. Affectiones omnes per contraria curandæ sunt, dẽsitas (sive obstructio) per ea quæ rarefaciunt; Constrictio per ea, quæ fundunt, abundantia per ea,

quæ

quæ vacuant, crassitudo per ea, quæ dissecant, & attenuant, & lentor iis, quæ detergent. Quò verò ad contrarietates compositas; porrò si plures aliquando causæ coibunt, omnibus simul per contraria occurres. Etenim coëuntibus una contrariis indicationibus, compositum esse medicamen oportet. Cum sanè simplici morbo simplex adhibenda curatio sit, composito nō simplex semperq; pro affectuum numero medendi indicationes respondeāt. Nō enim præceptum illud, Contraria contrariorum sunt remedia, aliquando verum, aliquando falsum, immo perpetuò verum est. Cum tamen id genus humorum, præternaturam affectorū, alii valdè, alii magis, alii maximè, affecti sint (qua enim in re est plus, in eadem & minus, & æquum. Inter plus etenim, & minus, æquum est ac medium. Ex quo quidē loco sui, quadraturam circuli Brisso elicuit) nam alii minus, alii mediocriter, alii magis; sive, alii validè, alii magis, alii maximè, calidi, frigidi, humidi, sicci, redun-

Gal. ibi. 8.
Gal. 11. meth. 4.
Gal. 13. meth. d. 3. c. 10.
Gal. inib. 7
Gal. 9. meth. 17.
Gal. inibi.
Arist. 5. eth. 6.
Arist. ibid. 7.
Arist. 1. post.

redundantes, craſſi, tenues glutinoſive ſunt. Cumq; ſcillinum ipſum, de quo hic ſermo ſit, acetum aliud ex valdè, aliud ex mediocriter coctis, aliud verò ex crudis, ſcillæ corticibus effici ſoleat, eritne, horum (ut ita loquar) acetorũ quodlibet, illorum humorum indifferenter cuilibet, ad contrarium alterando conveniens, Profectò minimè. Exiſtimare enim communem quãdam omnium hominum morborum cauſarum ac ſymptomatum, curationem eſſe extremæ porrò dementiæ eſt. *Non enim ſatis eſt, calido*
Gal. 3. meth. 7. *affectui, vel humori admoviſſe frigida, aut frigido calida, humido ſicca, ſicco humida, craſſo tenuantia, tenui craſſantia, lento abſtergentia, abſterſoque, & nimis fluido conglutinantia,*
Gal. 9. meth. 15. *niſi debita id menſura fiat. Cum alioqui metus ſit, ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquum quidpiam relinquatur; ſin modum excedat, contra-*
Gal. inibi. *rium morbi genus inducas.* Ille igitur optimus eſt cuiuſque particularis, & cauſæ, & ægritudinis, & ſympto-

ma-

matis medicus, qui iam methodum quandam comparavit, ex qua, & dignoscere naturas possit, & coniectura consequi, quænam propria sint cuiusque, & causæ, & morbi & symptomatis remedia. *Neque enim eius tantùm meminisse eum oportet, quod contraria contrariorum sint remedia, sed etiam & trium id genus affectuũ & remediorum, quãtitatis rationem in singulis habere contrariis. Non nanque solùm, æstimandum ac perpendendum ab optimo Medico est, calidumve, an frigidum, siccum, an humidum, crassum, an tenue, glutinosum, an fluidum, quicquam sit, sed quoti etiam in his ordinis sit. Et hæc de medicationibus à morbi caussa depromptis. His sic se habentibus, in summa dicendum ac pro certo tenendum, primùm frigido, humido, crasso, glutinosove humori; primum acetum ex discoctis scillæ segminibus effectum, bellè competere, demũ frigidiori, humidiori, crassiori, glutinosiorique secundũ ex modicè (inquam)*

Gal. 5. de sanit. t. in fin.

Gal. ibid.

quam) elixis affabrè factũ, poſtremi frigidiſſimo, humidiſſimo, craſſiſſimo lentiſſimoq́; poſtremum, ex crudis, in ſolatum, ac expreſſum: ut par pari, ſingulaq́; ſingulis, optimè referantur. Si namq́; poſitivè frigido, humido, craſſo, ac lento, humori, ſuperlativè acerrimum, ex crudis ſcillæ corticibus factum, acetum obieceris, profectò metus erit, ne propter validam huius actionem, & ægram illius reſiſtentiam tum humorem, tum viſcera, tum denique totum corpus, ad contrarium nimiùm alteres. Ubi enim non reſiſtentia, ibi non actio. *Si verò contra ſuperlativè frigidiſſimo, humidiſſimo, craſſiſſimo, lentiſſimo humori, poſitivè acre, ex percoctis eiuſmet ſegminibus concinnatum, acetum offeras; talem quidem humorem in oppoſitum, aut nihil, aut modicum alterabis. Tametſi enim actionis cauſa contrarietas eſt,* perit enim quidque, in contrarium Galeno teſte, & à contrario, *non tamen Medicis, vel cuiuſq́; contrarietatis eſt actio, vel à quolibet contrario fit*

Ariſt. & Aver. 1. *de gen.* 50. *Gal.* 3. *meth.* 3.

inte-

interitus, sed ab inæquali contrarietate, & à validiori contrario solùm, non ab æquali aut imbecilliori, iuxta magni illud Averois. Elementorum invicem mistionis causa eorum, tum qualitatum contrarietas, tum potentiarum inæqualitas est. Si nanq; eorum, & qualitates, & potentiæ, æquales essent, altera quidem in sibi comparem alteram, nequaquam, & nequicquam ageret, nullusque fieret inde effectus. Item alibi. Contrariorum permistio fit quandocunque, non alteri dominatur alterum, nec æquali sunt ambo potentia prædita. Si nanq; alterius potentia alteri dominetur, utiq; & dominãti corruptio, & dominantis generatio fiet. Sin æquales ambo-rum potentiæ fuerint, nulla quidem inde proveniet forma. Hæc ille. Phil. autem inibi asserit, elementa si non æquentur, invicem transmutari. Si enim æqualia sint, hoc est, si unius potentia & forma, & qualitas alterius, & potentia, & forma, & qualitate validior non sit; unum in aliud, neque

considerãda hæc sũt egendusq; Thom

Aver 4. meteor, 10.

Aver 2. de gen 48.

Aver. ibid

agere

agere, neque tranſmutari unquam po-
terit. A contrario quidem enim (ut
dictum eſt) actio fit. Non tamen ab o-
mni contrario (quia non à debiliori
aut æquali) ſed à validiori. Huic præ-
terea dogmati noſter, & Chriſtianus,
& picenus inhæſit Cicero: quem L.
ib.2. c.10. Cælium lactantium firmianum vo-
cant. Hic enim ſic ad verbum habet. I-
gnis quidē permiſceri cū aqua non po-
teſt, quia ſunt utraque inimica, & ſi
cominus venerint: alterutram, quod
ſuperaverit, conficiat alterutrum ne-
ceſſe eſt. Ut autem exemplo manife-
ſtius hoc fiat (nam & clara pro obſcu-
ris operæ precium eſt in medium ad-
ducere exempla, & in demonſtrativa
Ariſt. 2. eth. 2. doctrina exemplis non quidem, niſi in
inſenſibilibus, quæ tantùm compara-
tione queunt intelligi utendum eſt.
Eis enim non niſi cognitu difficilia ma-
Aver. 1. phyſ. 81. nifeſtantur) Hæc in naturalibus ac
voluntariis ſubdo. Quò enim ad illa
Aver. 2. de anim. 149. clarum eſt, tum parvam faculam ac-
cenſam, in flumen deiectam, penitus
extingui, tum contra minimam lym-
pham

pham in maximum ignem projectam, statim in auras evanescere. Quò verò ad hæc, nonne ab adulto, Græcorumq; omnium fortissimo, Achille; (quemadmodum Poetarum, tam græcorum, quàm simpliciter omnium, & optimus & maximus Coryphæus & Princeps, Homerus cecinit) tam quidem adolescentulus Troilus, quàm ignavissimus Thersites, ille lancea, hic solo pugno, fuere ob imparitatem enecati? De illo namq; sic Verg. habet: Parte alia fugiens amissis Troilus armis. Infelix puer, atque impar, congressus Achilli; Fertur equis, curruque hæret resupinus inani. De hoc autem sic Malo pater tibi sit Thersites, Iuven. dummodo tu sis Æacidæ similis. In summa morbus, & sanitas, corporis sunt affectus; ille se tollendum, hæc se tuendam, indicans. *Sanitas autem similibus, quod secundùm naturam sit conseruatur. Morbus verò, quòd præter naturam existat, contrariis abigitur. Quod nanq; secundùm naturam se habet, sui custodiam indicat; &*

Iuven 8. saty.

Gal. 9. meth. 14.

Gal 3. meth. 3. & 1. de san. f.

propterea, quæ sui similia sunt, postu-
lat. Quod præter naturam est, subla-
tionem sui, eóq; contraria requirit; pe-
rit enim quidque, in contrarium, & à
contrario. Non tamen à quocunque
Gal. 3. meth. 3. contrario contrarium perit, neque à
quolibet morbus ipse contrario tolli-
tur (cum, neque contrarium, neque
morbus, ab imbecilliori, vel æquali,
tollatur, aut pereat) sed à validiori
quidem, & tollitur, & perit, contra-
rio. Morbus enim, duorum, triúmve,
frigiditatis ordinum; non quidem ab,
unici, duplicisve, sed tantum à tripli-
cis, quadruplicisve, gradus medica-
mine tolli potest. Ni fortè asseras, ca-
liditatis, quàm frigiditatis, æquales
gradus potiores esse; cum quidem ignis
Gal. in de morb. c. elementorum ac rerum omnium,
sit efficacissimus. & hæ de
morbi causa, qui hu-
mor est.





DE MEDICATORIA INDICATIONE, A MORBO SUMPTA.

Morbus (quà ad rem pertinet) duplex est, calidus & frigidus. Calidus quidem, veluti, ophthalmia, seu lippitudo, phrenitis, pleuritis (vera scilicet, non mendosa) ac id genus alii. Frigidus verò, ut, appoplexia, epilepsia, podagra (hæc nanque, frigida ut plurimum est) aliique, his similes. Cum autem morbus (quicunque fuerit) se tollendum indicet; etenim, naturali nocet actioni, & incommodat, profectò & ipse, quemadmodum & eius causa, contrariis est remediis abigendus, hæc habente Galeno. Quod secundùm naturam se habet; sui custodiam indicat, & propterea, quæ sui similia sunt, postulat. Quod

Gal. 9. meth. 14. Gal. in de ocul. part. 3 cap. 5.

præter naturam est; sublationem sui eoq; contra requirit. Perit enim quidque, in contrarium, & à contrario. Item alibi. Morbus, & sanitas, corporis sunt affectus, ille se tollendum, hæc se tuendam, indicans. Cum autem contrariis exigendi morbi sint; qualibusne eorum fiet exactio contrariis? Utique, & propriis, & validioribus. Propriis quidem, hoc est, eorum singulis ex opposito respondentibus. Ex opposito autem, & calido frigidum respondet, & contra frigido calidum, & sicco humidum, & humido siccum, & crassans tenui, & tenue crassanti, & glutinoso fluidum, & fluido glutinosum. Horum nanque parium singula circa singula subiecta, non planè simul, sed successivè, diversari, in confesso est. Talia enim sunt Philosopho contraria. Non enim, sicco, vel humido, remedio, frigidum morbum; sed calido, quod & propriè contrarium est, curamus, & contra calidum, non humido, siccove, sed frigido. Pariterq; humidum affectum, non calido, vel frigi-

Gal. 3. meth. 3.

Gal. 9. meth. 14.

Arist. cap. De opposit.

frigido, medicamine, sed sicco, & contra siccum, non frigorifico, vel excalfaciente, sed humido. Praeterea morbum, ex nimia repletione genitum, inanientibus est ex se mediis abigendus, non autem (nisi ex accidenti) vel calidis, vel frigidis, vel siccis, vel humidis. Veluti è converso ex valida inanitione genitus, solis replentibus. Quicunque enim morbi (inquit Hipp.) ex repletione fiunt, curat evacuatio, & quicunque ex evacuatione, repletio, & aliorum contrarietas. Si namque (subdit Gal.) propter repletionem morbus constituatur, oportet tunc multitudinem evacuare. Sicuti &, si propter evacuationem, reficere protinus convenit. Si ex refrigeratione, curatio est per calfactionem. Si verò ex calefactione, per refrigerationem. Validioribus verò contrariis remediis fiet morborum exactio, videlicet unico saltem ordine morbi, gradum, vel gradus, excedentibus. Non nanque (eodem autore) satis est calido affectui admovisse frigida, aut frigido calida, sicco

Hipp. 2. aph. 22.

Gal. ibid.

humida, humido sicca, repletioni inanientia, inanitioniq; replentia, nisi id debita mensura fiat. Cum alioqui metus sit, si intra modum id fiat, ne reliquum quidpiam relinquatur, sin modum excedat, contrarium morbi genus inducas. In summa, validi (præcipuè autem frigidi) id genus morbi scillino, quod ex admodum coctis scillæ corticibus fit, aceto curantur, validiores autem medio, ex modicè elixatis facto, validissimi verò novissimo, ex crudis effecto. Firmiorem enim hanc methodum eiusdem sanè reddunt firmissima Galeni methodi, quæ tales sunt. Inveteratas, ac difficulter curabiles, dispositiones, fortibus persanare conandum est. Incipientes autem, & parvas, debilibus. *Item. Ad mediocres alopecias mediocria, ad fortiores, fortiora, ad fortissimas fortissimo, sunt adhibenda. Itidem. Moderata quidem in quibus, incipit, & adhuc parva est affectio, conveniunt pharmaca. Fortia autem, in maioribus, & diuturnioribus. Fortiora verò*

Gal. 9. meth. 15

Gal. 5. de comp. m. s. lib. 2.

Gal. imibi. 8.

verò adhuc in inveteratis iam, & agerrimè curabilibus. Hæ autem omnes Galeni methodi ex divini ipsius Hippocratis aphorismo (extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt) propriam habent essentiam, si quidem (ut patet) ei superaddideris (Remissioribus verò morbis imbecilliora remedia competunt) & hæc quidem in genere dicta sint. Vnum tamen in specie hic superaddo, quod, cum superius dictum sit, & asthmati, & vocis interceptioni, & sanguinis expuitioni, & phthisi, qui sane, pectoris, pulmonum, & vocalis arteriæ, affectus sunt, scillinũ ipsum acetũ suppetias ferre, ego quidẽ, id genus acetũ in tales affectus exhibiturus, ei cũ ex coctis, tum ex crudis, corticibus cõfecto, despumati quidpiam mellis in hyeme, sacchari in æstate, cõmiscerẽ juxta vulgatã illã Gal. methodũ. Omnibus medicamentis, quę thoracis, & pulmonum, vocalisque itidem arteriæ, ulceribus sunt destinata, mel admiscendum est. Itidemque & in ner-

Gal. ibid. 26.

Hipp. 1. aph. 6.

Gal. 4. meth. 7.

vorum, & artuum, affectus ipſum propinaturus, efficerem. Pariter etiam, ſi cui, imbecillis, tum ſtomachus, tum ventriculus, ſit; tum etiam artus, ac nervi, debiliores exiſtant; idem mel ſcillino ipſi aceto permiſcendum reor. *Vt, & iucundius inde, & minus acre, reddatur. Iucundius quidem, iuxta Gal. illud. Medicamenta, quo ad fieri licet, iucundiſſima fieri debent, ſed tamen eorum virium utilitate ſervata. Minus verò acre, & unà ſuauius, eodem ſic* Gal. 4. de ſanit. t. *præcipiente. Medicamento, nonnulla adiicienda ſunt virium ipſorum vehementiæ obtundendæ, interim inſuavitatis mitigandæ gratia, quemadmodum præcipit Hipp. Præcipuè autem id faciendum erit, ſi quidem imbecillo, ſtomacho, ventriculove, ægrotans fuerit. Etenim ſtomacho, quate-* Gal. 1. de comp. n. p. 2.3. *nus nervoſa pars eſt, acetum tale non modicum obeſt. Hinc enim idem Gal. Cùm medicamenta omnia, quæcunque purgant, ventriculum lædant, & maxime eius oſtium, quod, & nervis*

quam-

quamplurimis constat, & acutè sentit, excogitatum est, benè olentia, ac dulcia, purgantibus admiscere, ne sola, atque syncera, eorumvis, ostium ventriculi attingat. Oportet autem, admista talia esse, quæ & medicamenti malitiam retundere queant, & eius opus impedire nequeant, & hæc de medicatoria indicatione à morbo sumpta, sint breuiter exarata. Gal. in lib. Quos. p.c.q.m.e. q.t.

DE MEDICATORIA INDICATIONE, A SYMPTOMATE deprompta.

SYmptoma affectus quidem, accessorium, id est, morbum sequens est. Nam (vt completius eloquar) symptoma est præter naturam affectus, morbum sequens, non tamen actionem obturbans. Morborum igitur symptomata sunt veluti, malus color in quartana febre, & epilepsia, ac gracilitas in hectica febre, & phthisi, nimiaq; crassities Gal. in definitio. m. Gal. 2. meth. 1. Gal. 1. meth. 9. Gal. 2. meth. 3.

sities in plethorica syndrome, quæ quidem, & plenitudo, & succorum redundantia, dicitur; ubi scilicet inter se æqualiter succi sunt adaucti. Malo
Gal. 13. meth. d. 2. cap. 3. igitur colori, *intensæque plethoriæ, scillinum quidem imbecillius acetum convenit; peiori autem, ac intensiori, validius, pessimo verò, & intensissimæ, validissimum; iuxta, conscriptas iam in morbi indicationibus, methodos.* Novum autem ne videatur, *interdũ morbis posthabitis etiam symptomatibus curationem deberi, nam id clarissimè sic ad verbum præcipit Gal. Si nullum quidem interim vehemens incidat symptoma, prohibeatque, quo minùs auxilia ab initio morbi ad finem ita procedant; celerrimè finietur febris. Sin tale quidpiã incidat, quod totam ad se curationem revocet; necesse est, seriùs adveniat curationis finis. Siquidem, quod ita intervenit, omninò, vel contrarium est remediis, quæ ante dictum, causarum, affectuũ & symptomatum, ordinem sanent vel*
Gal. 11. meth. 11. *omnino nihil saltem confert, hæc Gal.*
Co-

Colorem autem, pallidum abigit, & vividum revocat, id genus acetum; quatenus humorem, à quo talis evenit (color enim ſimilis efflorescit humoribus, niſi intrò receſſerint) *& frigidum calfacit, & crudum concoquit, & craſſum tenuat, & lentum diſſecat. Etenim humorum, frigiditas, cruditas, craßities, ac lentor, exactæ nutritioni, cuius effectus bonus est color, non modicum incommodant. & hæc de ſymptomate.* Gal. 1. phor. 2. Gal. 11. meth. 11.

DE MEDICATORIA INDICATIONE A TEMPERAMENTO HABITA.

T*Emperamenta, communi, improprióq; nomine dicta; novem ſunt. Eorum nanq; & quatuor ſimplicia ſunt, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, & quinq; composita, calidum humidum, calidum ſiccum, frigidum humidum, frigidum ſiccum ac ſymmetrum. Privatè autem, ac propriè, loqui ſi velim; dicendum mihi erit, tum non planè novem tem-* Gal. 1. temperament.

peramenta, ſed unicum tantùm temperamentum eſſe, ſymmetron videlicet, quod ab extremorum utroq; pari abeſt ſpacio. Quod enim ita medium in utroq; contrariorum genere eſt, ut nõ magis ſit calidum, quàm frigidum, aut humidum quàm ſiccum, & ἄκρατον id, ſive temperatum, omnino dicetur, tum octo reliqua, non ſane temperamẽta, cùm modum exeedant, ac ſymmetriam, ſed potius intemperamenta, & eſſe, & dici, iuxta Gal. illud. Cur novem dicere univerſas temperamẽtorum differentias dubitemus, temperatam quidem unam, non temperatas octo? Cum verò ſanitas in quatuor elementorum ſymmetria conſiſtat, hoc eſt, in iuſta eorum moderatione, & temperamẽti qualitate, profecto morbus contra in eorundem, & ametria, iniuſtaque immoderatione, & intemperamenti qualitate, conſiſtet. Nam oppoſitarum cauſarum oppoſiti quidem effectus ſunt. Si itaque & ſanitas in ſymmetria, ſeu temperamento, & morbus in ametria, ac intemperamento,

Gal. imbi.

Obiectio Gal. eodẽ loco.

Gal. 1. de morb. v. com. 2. tex. 8.

Gal. 1. de hum. n. 21.

Gal. 1. de ſanit. t.

Ariſt. 4. meteor. 40

mēto, vigent; plane, ſolum ipſum temperamentum ſanitatis, octoq; reliqua intemperamenta ægritudinum, erunt cauſæ. Quamobrem forte, non tres (videlicet à morbo, temperamento & aëre) ſed geminæ tantum (ſcilicet à, morbo, & aëre) medicæ fuerint indicationes. Etenim, illinc temperamentum, quæ ſanitas eſt, medicatoria indicatione opus non habet, non nanque ſanitas, ſed ægritudo, curatione indiget, hinc verò octo ipſa intemperamē-ta morbi ſunt ſpecies. Vt in ſumma, à morbo ſumpta, indicatio omnia ſimul intemperamenta contineat. Niſi eſſet, quod, cùm non omnis, qui præter naturam eſt affectus, ſed qui actioni incommodat, proprie morbus ſit, quique præternaturam eſt, nec tamen actionem obturbet, morbus non ſit, profecto intemperamenta ipſa, licet præternaturam ſint, hoc eſt, à temperie, modoq; recedant, non tamen omnia ad morbum transfugiunt, ſed illa tantùm, quæ tum actioni incommodant, tum actionem obturbant, iuxta Gal. illud

Reſponſio.

Gal. 1. meth. 9. & 2. met. 1.

Gal. 3. meth. 3. & 1. porrhet. comm. 2, tex. 8.

Intemperantiæ, quæcunque tantam habent magnitudinem, ut possint jam lædere operationem, sunt ex morborum
Gal. 5. aph. 57. *genere. Quæcunque verò, neque actioni incommodant, neque eam impediunt, non planè morbi, sed morbis propinqua, esse dicuntur; hæc ad verbum dicente Galeno. Temperamentum, sani-*
Gal. 8. meth. 3. *tatis symmetriã egressum, morbo est propinquum. Adde & duplicem esse Galeno Medicinam, utique præservantem & curantem, quarum illa quidem, secundæ indicationi, temperamentoque, hæc autem, primæ & intemperamento, quod morbus, aut morbo proximum est, deserviunt. Etenim intemperies se curativa auferri, temperies præservativa se in proprio esse cõservari, Medicina eo indicant. Vt proinde tres (ut Gal. asserit) medicas esse constet indicationes. De illis igitur, hoc est intemperamentis, & operationem lædentibus, & ob id ad morbum transmigrantibus, in indicatione, à morbo deprompta, dictum iam fuit. De reliquis autem, morbo proxi-*

mis,

mis, nondum tamen operationem adhuc manifestè obturbantibus, in praesenti dicendum est capite; primumq; de tali temperamento; demum de corporeo, quod à temperamento provenit, habitu. Primò igitur scillinum ipsum acetum temperamentis utique; cùm calidis humidis, & frigidis siccis; tum, vel maximè frigidis humidis, seu pituitosis; est accommodum. Nam & prima, quatenus humida sunt, exsiccat & secunda, quæ frigida, calefacit; & tertia, quà frigida, calfacit (non tamen immodicè) quæque humida, immoderatè siccat. Censendum enim me iudice est, in tali, siccitatem, quàm caliditatem, longe intensiorem existere. Cùm nanque scilla (Gal. teste) non admodum, sed secundo tantùm ordine, calida sit, necnõ cõtrà valde frigidũ, & ipsi, & Paulo, sit acetum, nempe, aut moderatã, aut nõ saltẽ immodicam, ex amborum commistione par est resultare caliditatem. Etenim iuxta Gal. ipsius sententiam ex duobus temperamentis immodicis, Gal. 8. de simpl. m. f. 105. Paul. 7. lib. Gal. 3. de simpl. m. f. 6. Paul. 7. lib.

invi-

Gal.3. meth.2. Paul.7. lib.cap.pr. Paul.inibi Gal.10.de simpl.m.f. 3.

invicem scilicet contrariis, unum bellè efficitur modicum. Cum verò, & scilla secundo desiccet ordine, & arefaciendi tantam facultatem acetum obtineat, ut in tertio desiccantium ordine censeri promeruerit; scillinum quidem acetum, quàm excalfaciat, magis exsiccabit. Simile enim simili, efficitur, & augetur. In summa; tum, frigido, & humido, temperamento scillinum illud imbecillius acetum est acommodum; tum, frigidiori, & humidiori, mediocre; tum denique & frigidis imò humidissimoq́, validissimum, & accerrimum. Quòd autem à vero non recedat hac methodus, Galenum auscultato, frigidioribus hominibus calidiora, calidioribus frigidiora, temperatisq́, mediocria, vina, propinantem. Sic nanq́, ad verbum inquit: Frigidis intemperantiis calidiora vina præhenda sunt. *At, quod calidissimum quidem, vinum est; id frigidissimis est intemperantiis utile. Reliquis verò, quod proportione respondet. Nam media temperiei natu-*

ra mediocre profecto dandum est vinum, sicuti ipsa quoque mediocris est. Media autem temperiei natura, & Athletæ, & Milites, & Fossores, & Messores & Aratores, sunt; ac denique ad urbana, rusticave opera fortes. Quippe; valentium, hoc est, sanorum, ac temperatorum hominum, ea sunt munera. Tales enim nunquam fuerint, nisi mediocri sint temperatura. Atqui, si media temperie sint, plurimus his naturalis calor fuerit, hæc Gal. Quocirca, Germanis, & Scythis, acerrimum quidem illud, ex cruda scilla confectum, scillinum acetum conveniet. Frigidißimi nanque & humidißimi, sunt id genus homines, Ægyptiis autem, & Afris; imbecillißimum, ex percocta scilla factum, competit. Calidißimo nanque & siccißimo, tales existunt intemperamento. Picenis verò, & Italis (illorum saltem respectu) mediocre reliquum, ex mediocriter elixata scilla, fabrefactum, erit accommodum. Etenim, cum hi, cum illi, media vigent temperie. Si

Gal. 5. de sanit. t.

verò

verò & Italarum diſcrimina Genti-
um perquiramus Longobardis pri-
mum, Siculis ſecundum, Picenis iti-
dem tertium, bellè manum porrigent.
Et hæc de temperamenti indicationi-
bus. Poſtremò quod ad habitum ſub-
dendum eſt, multiplicem quidem eſſe
Medicis habitum. Hic enim (ut à no-
bis notioribus, hoc eſt ſenſibilioribus,
Ariſt.1. phy. initium fiat) interdum, corpoream, &
craßitiem, & gracilitatem, ſignat iu-
xta magni Hipp. illud. Habitus exer-
citatorum, qui ad ſummum bonitatis
attingunt, periculoſi, ſi in extremo cō-
ſtiterint. Neq; enim poſſunt in eodem
permanere, neq; quieſcere. Cùm verò
non quieſcant, neque poſſunt proficere
in melius, reliquum eſt igitur, ut deci-
dant in deterius. His de cauſis, bonum
Hipp.1. aph.3. habitum ſtatim ſolvere expedit. In-
terdum autem corporis habitus eius
aut durities, aut mollities, eſt, hæc ha-
bente Galeno. Nempe habitum, ad
corporis conſtitutionem deferentes
dicimus, utpote, cum quis, vel mollis

el durus, fuerit. Item. Pueris propter Gal.4.reg.
abitus mollitiem succi perspirabili a.26.
ute facilè digeruntur. Senibus verò
on facilè propter, siccitatem, & frigi-
itatem. Interim verò ipsarum corpo- Gal.ibid.
is partium structuram, hoc est textu-
æ, & raritatem, & densitatem, signi-
cat habitus iuxta eiusdẽ illud. Par-
ium ipsarum, structuram, composi-
ionemque, ἕξιν, id est, habitum, appel-
ari, quispiam existimaverit. Item. Gal.2.reg
Habitum, struem corporis, composi- a.31.
ionemq;, dixit Hippocrates. Nam,
ui raram ex natura texturam ha-
ent, tum euaporantur, tum syncopam
acile incurrunt. Qui verò densiore Gal.ibid.
onstant textura, hi in morbis, cun- 47.
ctantur, diutiusq; trahunt. Primus
habitus, & visu quidem, & tactu, vel
facilè percipitur, est nanque com-
mune, sensibile, seu sensuum, obie-
ctum. Cùm verò quina sint com- Aristotelis
munia nuncupata Philosopho sen- defectus.
sibilia, motus, quies, numerus, fi- Arist.2.de
gura, magnitudo, sub quorum nul- anim. 64.
lo, vel crassitudo, vel obesitas, con-

tine-

tinetur (ut in 5. lib. De vino à me mõstratum est) non quina tantùm, sed septena, cõmunia id genus obiecta sensibilia, & mancum in talium sensibilium catalogo Phil. extitisse, censendum equidem censeo. Tale verò sextum erit substantia, ut, medicaminum, aut rerum, partium, tenuitas, crassities lentor. Secundus autem habitus; aut solo tactu, aut itidem, & visu, & tactu, pariter sentietur. Est enim & ipse commune, non proprium, sensibile quod itidem ad conscriptorum ab Arist. nullum transfugere videtur. Ideoque, non plane quinque, tantum ut ipse affirmat, sed septem, ut equidem teneo, communia sensibilia fuerint hoc est, motus, quies, numerus, figura magnitudo, consistentia, ac (ut ita nominem) tangibilitas. Tertius verò habitus, aut visu, pariter & tactu, à priori, aut, facili, difficilive, sudoris eiectione, à posteriori, dignoscitur. Crasso itaq;, duro, densoq; corporis habitui, scillinum quidem imbecillius acetum suppetias fert. Crassiori autem, durio-

Alius Arist. defectus.

ri, ac

ri, ac densiori, medium. Crassissimo verò, durissimo, densissimoque, validissimum illud, & acerrimum, optime conveniet. Contraq; gracili, molli, & raro, valentissimum; graciliori, molliori, rariorique, medium; gracilissimo, mollissimo, rarissimoque, imbecillissimum, ex usu fuerit. In prioris habitus fidem sic Gal. habet. Optimum est bene carnosum esse natum, hoc est adeo commoderatum, ut, neq; crassitudo, neque gracilitas, adsit. Tales enim possunt ad longam senectam perduci. Si verò à modo recedatur, melius est, ut ad gracilitatem. Nam malus est ad crassitudinem excessus. In fidem autem secundi, Aëtium auscultato, sic ad verbum dicentem. Rusticana, solidiorque natura, potentioribus indiget medicamentis, sicut mollis imbecillioribus. In novissimi verò habitus fidem in Gal. mentem convertito, sic habentem: Qui raram ex natura texturam habent, tum evaporantur, tum syncopam facile incurrunt. Qui verò densiore constant textura,

Gal. 2. aph. 44.

Aet. li. 14. cap. 57.

tura,

tura, hi in morbis, cunctantur, diuti-
Gal. 2. reg. a. 47. *usq; trahunt. Permanere enim ex cu-tis ſpiſſitudine accidit, & humorum craſſitie, Et propterea longitudo morbi ſignificatur. Contabeſcere autem non-nunquam fit ob humorum tenuita-*
Gal. 2. aph. 28. *tem, & cutis raritatem. In ſingulorum denique habituum fidem ſatis hoc fa-ciet. Robuſtis corporibus robuſtiora,*
Gal. 6. meth. 3. *imbecillibus mitiora, ſunt adhibenda remedia. Item alibi. Illud corpus, quod plurimùm à ſuo naturali habitu receſſit, id vehementibus eget contra-riis. Quod verò non plurimùm, levi-*
Gal. 9. meth. 15. *bus. Et hæc de, temperamentorum, & habituum, indicationibus.*

Ubi.

QVòd præter, morbi, temperame-tique, indicationes, etiam ab aë-re medica quidem ſit indicatio depro-menda, ex Galeno ipſo vel facilè elici-
Gal. 9. meth. 14. Gal. 3. meth. 9. *tur, hæc dicente. Medicatoria indica-tiones à morbo ipſo ſumuntur, à cor-poris temperamento, & tertiò ab am-biente nos aëre. Ambiens verò ip-*
cu-

um quidem ad præsentes cœli status, um verò ad Regiones, extenditur, hæc d verbum Galeno dicente. Voco cœli atum ipsam, ambientis nos, aëris mperiem; sub qua, & anni tempus, Regio, comprehenditur, quando orum etiam utrumlibet ex ambientis temperie indicationem mutuatur. Anni verò tempus in cœli statu comprehēditur. In summa ad auxiliorum ventionem, tum, præter, morborum, rporisq; temperiem Regio, tum anni mpus, tum cœli status, tum aër, non odicum conferunt. Ni fortè quispiam dixerit, non plane, Regionem, ani tempus, ac cœli statum, sub aëre, sed tiùs aërem sub horum singulis, comrehendi iuxta Gal. illud. Ambiens se eiusmodi quidem, scilicet calidus, rigidus, humidus, siccus, tenuis, vel assus propter, tum Regionem ipsam, um anni tempus, tū cœli statum, redditur. Vt in sūma qualitates huiusmodi, nō nempe, Regio, anni tempus, aut œli status, aëri, nos ambienti, sed poius contra eis hic, acceptas referat.

Gal. 9. meth. 5.
Gal. 10. meth. 5.
Gal. 9. meth. 9.
Gal. 9. meth. 14.

Quo-

Quomodo autem cunq; ſit, de eorum quidem à me ſingulis hic eſt loquendum. Cæterum ſub diuerſis generibus. Etenim de indicationibus, à continẽte, cœli ſtatu Regioneq;, deſumptis, in ubi prædicamento, de quo nunc ſermo fit, equidem ſermocinabor. De anni verò tempore in noviſſimo genere quando. Cùm igitur ea ſecundùm naturam ſe habere dicantur, quæ, & temperamenta ſunt, & à temperie aut nihil, aut modicum, recedunt:

Gal. 3. meth 3. & 1. porrh. com. 2. teſt. 8.

profectò & ea contra ſeſe præternaturam habere dicenda fuerint, quæ, tum intemperamenta ſunt, tum à temperie non modicum recedunt, ſi quidem eandem oppoſitorum verum ſit eſſe ſcientiam. Præterea, quod ſecundum naturam ſe habet, ſui cuſtodiam indicat,

Ariſt. 5. eth. 1. & Auerr. 3. metaph. 3.

& propterea, quæ ſui ſimilia ſunt, poſtulat. Quod præternaturam eſt, ſui ſublationem, eoq; contraria requirit, perit enim quidque, in contrarium, & à contrario. Stantibus his, dubio ſane procul, as pro certo tenendum eſt,

Gal. 3. meth. 3.

tum calidiſſimo, & aëri, & cœli ſta-

tu

tui, scillinum imbecillius acetum cõpetere tum mediocri medium; tum frigidißimo validißimum. Piriterq;, & calidißimis Regionibus, veluti, Africa, & Ægypto, prius illud convenire; & temperatis, ut Italia, & Piceno, secundum; & frigidis, quales Germania ac Scythia, novißimum. Huic veritati his verbis annuit Gal. A Regione, cœli statu, & aëre, ubi temperata hac sint, similium semper est præsidiorum indicatio, hoc est temperatorum, seu valeant homines, sive ægrotent. Contrà ab intemperatis, aëre, cœli statu & Regione, contrariorum est indicatio. Item alio quopiam loco sic idem adstipulatur. Contrarii quidem morbi, & ætates, ad contraria bene; similes autẽ ad similia malè se habent; præter quàm, si ætas temperata, & victui, & Regioni, & loco, temperato, comparetur. Hoc enim solo modo similes à similibus bene afficientur Quæ verò plus temperie recesserunt, ætatibus; secundùm temperaturam contraria loca, ac tempora, & victus genera, Gal 8. meth. 5.

Gal. 3. aph. 3. magis conferunt. Cùm verò omnes morbi à tempore, & modo, recedant; generatio quidem à ſimilibus, locis, at-
Gal. inibi. que temporibus, ſolutio verò à contrariis, fit. De medicatoria igitur, ab aëre, cœli ſtatu & Regione, habita, indicatione, hæc dicta ſint.

Quando.

DE anni tempore ſermonem habituri in præſenti genere cùm ſimus; utique diſtinguendum priùs ipſum eſt. Rerum namque non confuſionem, ſed perſpicuitatem, potiùs, inſequendã eſſe, par eſt aſſerere. Ejuſmodi itaque tempus duplex hìc ſit; alterum ſcilicet univerſale, à quo ſumenda eſt indicatio; alterum particulare, in quo videlicet congruè propinandum eſt ægrotanti ſcillinum acetum. Quò igitur ad primum dicendum eſt; calidiori anni tempori, ut æſtati, imbecille congruum eſſe; frigidiori autem qualis eſt hyems, validius & acrius, ex non coctis ſcillæ ſegminibus factum; temperatis verò, ut, cùm autumno, tùm veri, medio-

mediocre, ex modicè elixatis, ejusdem corticibus elicitū. Etsi verò, autumnus, ac ver, absoluta temperie non pollent; ab hac tamen, æstatis, atq; hyemis, respectu, non valdè recedunt. Indicio autem gemina sint æquinoctia; quorum, alterum autumno, alterum veri, temperiem ingerunt. Hujusce verò methodi veritati his subscripsit Galenus sententiis. Hippocrates, in calidioribus anni temporibus iis, quibus frigidior facultas sit, medicamentis utitur; calidioribus autē per frigidiora. Item. Morbi quidem bene se habent ad tempora, ut ad generatienē similes, ut ad solutionē verò contrarij. Itidem alio quodam loco. Ab anni tempore, ubi temperatū hoc sit; similiū semper est præsidiorum indicatio, seu valeant homines, sive ægrotent. Contrà ab intemperato anni tempore contrariorum est indicatio. Quò verò ad secundum, quod particulare anni tempus est; non planè curationis est, sed exhibitionis, indicativū, primò dicendū est, scillinū ipsum acetū tū mane ante prandiū à jeiuno su-

Gal. 1. de temperan.

Gal. 3. meth. 8.

Gal. 3. aph. 3.

Gal. 8. meth. 9.

mendum esse, tum paulò minùs, quàm milliare, post absumptionem deambulandum; ut in singulas (ob acquisitam ab exercitio, caliditatem, & meatuum reserationem) totius corporis partes, in quibus, & frigida, & humida, & crassa, & glutinosa, pituita est impacta; facilius digeratur. Hæc namq; ad verbum habet Gal. Aceti scillini, parum mane sorbendum est. Et ieiunus ut assumas, præcipio, septemq; postea stadios demabules. Ita enim dissolvetur. Cùm autẽ octonis constet milliare stadiis, utiq; septem stadia ab integro, seu cõpleto milliari parum deficiunt. In hoc verò nulla (quòd crediderim) constitui à Medico potest, certa, determinatáve, deambulationis mensura. Cùm namq; alii, frigidiores, vel robustiores sint; profectò aliis laboriosiora, aliis minùs laboriosa, competentia, ac salutaria, sunt exercitia iuxtà Gal. illud: Fieri potest, ut idem motus, alteri sit exercitatio, alteri non sit. Valentiori enim exercitatione, frigidis, quàm calidis, opus est. Necnon, optimis

Gal 3. de medicin. f. p. 248.

Gal. 2. de sanit. t.

Gal. 2. de sanit. t.

mi statius, ac robustum corpus; sicuti in inventute ad vehemẽtissimos quosque labores idoneum maximè est, ita quidem in senecta se habet ad omnes mediocres. Quòd, si cui extra, domũ, vel urbem, progredi datum non sit; ei nempe, si sacerdos sit, intra monasterium, vel eremum, crebra deambulatione exerceatur. Sin Præsul, Princepsvé, is parva pila exercitetur, post scillini ipsius aceti assumptionem, ludo. Quæ namq; ex parva pila habetur, exercitatio; alias omneis Gal. teste excellitur. Demum autem, nedum (ut dictum est) mane ante prandium, sed tàm post, quàm ante, & prandium, & cœnam, ipsum devorari datum est, sic dicente Aëtio. Acetum scillinũ, tum ante, tum post cibum sorbendum est; aut ante somnum. Ante somnum verò, hoc est geminis post leviusculam cænulam horis, affecto à frigida humida, crassa, ac lenta, pituita cerebro. Plurimùm enim, vel frigida intemperies caput vitiat, vel humida. Nec dubium est, quin etiã ambæ congrediantur.

Gal. 5. de sanit. t.

Gal. in de paru. p.

Aet. lib cap. 27.

Gal. 15. meth. dist. 3. test. 16. tur. Etsi autem capitis, ac ejus particularum, abigendos affectus in sero quippe sunt propinanda post cœnam remedia; nam ad linguæ tumefactionem usitatas sibi quasdam, ex aloe, scammonio, & colocynthide, constantes, in sero pilulas Galenus exhibuit; non tamen, Galeno (par ut est) si quidem inhæreas, ob id à cœna devorandum id genus acetum me Palamone fuerit; cùm quidem ipsum, & ventricularis inanitas præcedere, & milliaris deambulatio subsequi (dictum ut est) oporteant: quorum neutrum id genus tempori convenit. Sin Aetio fortè potiùs inhæseris; utique poteris ob capitales affectiones etiam post cœnulam ipsum ingerere. Postremò verò, cùm monstratum jam sit, tam quidem ante, quàm post prandium, ac cœnam: propinari scillinum acetum posse; eritné quotidie, an rariùs, id propinandum? Profecto quotidie: si Dioscoridæ, Serapioni, & Avicennæ, credendum sit. Sic nanque ad verbum habet Dioscorides: Scillinum acetum datur quotidie jejunis

Gal. 14. meth. 8.

iunis

junis ad ſorbendum, inter initia exiguum, paulatim adaugendo. Serapio itidem ſic: Aceti ſcillini ſorbere quotidie jejunus debet, primo ſemunciolam, ſecundò paulatim pluſculùm, donec ad unciam unam, ac ſemiſſem, deveniatur. Avicenna poſtremò ſimiliter aſſerit: ex aceto ſcillino quotidie parum jejuno bibendum eſſe: donec ad unicam unicam ac ſemiſſem, gradatim perventum fuerit. Ego verò aſſumptiones has utiq; ſic limitarem: ut quicunque ipſum facilè devorant, admodumque ejus aſſumptione opus habent, quotidie ipſum ingerant. Quicunq; autem & difficilè ipſummet bibunt, & eius bibitione haud valdè indigent: ſemel hi, aut bis, tantùm in hebdomade, ipſum devorent. Reliqui verò, quicunq; horum in his ſunt medii: alterius ipſum diebus ſumant. De ſcillini igitur aceti, confectione, viribus, atq; uſu: dictum jam ſit.

Dioſ. lib. 5. cap. 18.

Sera. trac. 7. cap. 23. parti. pri.

Avic. lib. 5. ſum. 1. trac. 6. cap. 8.

A. C. A. N.

FINIS.

 LIBER



LIBER SECUNDUS.

De ALOES SUBSTANTIA, QUANTITATE, relatione, qualitatibus, actionibus, passione, habitu, ubi, & quando.

JANO MATTHÆO DURAſtante, Philoſopheraſte & medico, ſanctoiuſtano, autore.

DE Aloe nobiliſſimo medicamine, pro virili quidem (ò candide lector) utilia plurima, dilucidè, breviterq; dicturi; eius; primùm, latina, græca, arabica, maternaq;, nomina in, propatulum, ac medium, ponemus; demum etymologian; poſtremò &, propria, ſuaq; genera, quas Græci κα-

τηγορίας, quæq; & Quintil. latinè elementa, & Recentiores vulgò prædicamenta, connominant. Sunt autem hæc Aristoteli in Prædicamentorum libro Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Situs, Habitus, Vbi, Quando. Nomina quidem, nam & eorum unum aliud legenti tibi clarius faciet, & simul omnia significatas res tibimet efficient in animo clariores. Etymologian autem, quòd quidem universales addiscendi sententias principium Averroæ vocabulorum sit præcognitio. Hæc autem illius vel maximè innititur adminiculo. Est namq; dictionis ἐτυμολογία, penè ut definitio rei essentia. Genera verò, medicamina ipsa, immo & ferè qualibet entia, per id genus, genera examussim, examinantes, ac perpendentes, adeò sanè completum (me Palæmone) & perfectum, de eis sermonem faciunt, ut nihil (saltem in universum) quod eorum intersit, atq; eadem pertineat, intactum relinquant. Præ se nanq; ferunt, simplicium ipsorum me-

Quintil. l. 3. cap. 7.

Averr. 6. eth. 3.

dicaminum, & plantarum: Substantia eorum met partium, & tenuitatem, & crassitiem: Quantitas, exhibendam ægrotantibus quantitatem, ac dosim: Relatio cum hisce, vel illis, corporis partibus, aut juvantem, aut noxiam, proprietatem, id est, amicitiam, vel inimicitiam: Qualitas, primas, secundas ac tertias, qualitates: Actio proprias & ingenitas, singulorum, facultates, proprietates, ac vires: Passio pulverationem, lotionem, elixationem, combustionem, ac eamet juvantium commistionẽ: Habitus proprias, quibus & dignosci, & à reliquis distingui, secernique, facilè possint, notas, h. e. propriam, cumq; proprio, suoq; definito, convertibilem, descriptionẽ: Ubi, id est, locũ, in quo eadẽ & nascantur, & proveniant, & decerpenda, depromendavé, sint: Quando verò, hoc est quo nam anni tempore, sint avellenda, obq; medicos usus apparanda. Situs autem, seu positio, ad medicamina quidem, tam simplicia, quam composita, nihil facit. Iam igitur aloên aggrediamur.

ALOES.

ALOES

Nomina.

ALoë, gracè ἀλοή, arabicè, paber, saber ac seber, vulgoq; aloë, nominatur. Differt autem aloë à ligno aloës. Illa enim herbæ liquor est. Hoc arbustum (ab ea, qua pollet, aloëtica non absimili, nomen adeptum amaritudine) ἀγάλλοχον gracè nominatum, de quo in nostro plurima iam dicta sunt maius in luminare commentario.

Etymologia.

Dicta forsan est à primis illis nominum impositoribus ἀλοή ab ἀλόω, capio, quòd, se devorantem, hominem, capiat, id est, cùm fœtoris sinistra, tum vel maximè amaritudinis dextera, quibus pollet, captivum faciat. Ut enim asserunt, tam Gal. fortiter amara est: quàm Dioscor. gravi tota est odore & gustu amarissima. Gal. 6. simpl. 26.
Hinc Juvenal.
Plus, aloës, quàm mellis, habet. Diosc. l. 3. c. 24.
Hoc est plus, fœtoris, & amaritudi-

nis, quàm redolentiæ, & dulcedinis, obtinet. Eſt namq; mel, Galeno, tum ſuavi odore, tum in ciborum, dulciſſimum. Nulla autem ſenſuũ obiecta, præter tactile, magis quàm, olfactile, & guſtatile, nos afficiunt. Vel fortaſſe dicta eſt ἀλοὴ ab α. litera, interdum privativa, ut in dictione ἀθάνατος (hæc namq; compoſita eſt ex α. ſine, & θάνατος mors, quaſi, ſine morte, id eſt immortalis; juxtà Pythagoræ illud.

Gal. 7. meth. 6. Gal. in de atten. u. r.

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ, &c.

Pyth in aur. carm.

Id eſt:

Immortales primùm Deos cole) interdum autem, ei coniuncta, dictionis & ſignificationem, & vim, intendente; veluti in dictione ἄξυλον. Etenim, ὕλην ἄξυλον, id eſt, ſylvam nemoroſam, dixit Homerus, &, λοέω, lavo, quaſi, non lota, & valde lota. Nam ipſa aloë, Gal. teſte, adbiberi in medicos uſus, tam non lota, quàm lota, ſolet. Hæc in ſumma dicta ſint de aloës etymologia.

Gal. 7. meth. 11.

Sub-

Substantia.

TAmetsi, medicaminum, & corporum, tenuitas, crassities, lentor, ac eiusmodi reliqua, non substantiæ, sed qualitates, sunt; iuxta Gal. illud. Humorum, lentitia, & crassitudo, sunt in qualitatis affectu. Libuit tamẽ, ut completior de singulis medicaminibus hic sermo fieret, substantias quidem, seu consistentias, & compages; non autẽ in Qualitate qualitates, hic eas connominare. Aloe igitur, cùm nõ simplicis, seu homogeneæ, sed multiplicis, ac & erogeneæ, naturæ Gal. autore sit, astringit enim, eodem teste, & purgat, crassis utiq; partibus, ac tenuibus particulis, una constare dicenda est. Eius enim, multiplicitatis, ac eterogeneitatis, indicia ex eiusdem quidem, astrictione, & purgatione, venatus est inibi Gal. ideò, quòd, astrictio eimet sit opera, terreæ, frigidæ, crassæque, consistentiæ, purgatio verò, & absterßio, contrà, igneæ, calidæ, ac tenuis, eiusdem iuxtà illud. Purgantia medicamina, cùm quidẽ, & essentia simi- Gal. 11. meth. 13. Gal. 6. simpl. 26. Gal. ibid. Gal. 7. simpl. 18.

litudine & qualitatis familiaritate, proprios humores, ceu quæ nutriuntur, familiaria nutrimenta, attrahant: calida ut sint id genus omnia, necesse est. Nam inter ea, quæ essentiis invicem sunt similia: quod calidius est, id potentiùs attrahit, ut pote, quod similitudini auxiliarium calorem adiunxerit. Siquidem: cùm duabus causis, hoc est, tam similitudine, quàm etiam caliditate, attrahat, superabit id, quod una
5. ejusmet. 17. duntaxat trahit. Præterea & alibi. Quæ penitus & tenuia & calida, sunt, ex corporibus, quibus admoventur,
Gal. 3. simpl. 17. humores, digerunt, atque discutiunt. Licèt autem ibi, non de devoratis, sed de topicè forinsecus applicitis, Autor intelligat: non tamen hæc solùm, verùm etiam & illa, ut plurimùm sunt talia,
Gal. 2. eatatop. 11. quanquam non semper, ut patet in absinthio, quod sanè, bilis purgatorium,
Gal. 6. simpl. 2. nec non calidum est: inibi tamen, cras-
Gal. inibi. sum, non tenue. Talia præterea sunt &
Arist. 6. 11. metap. 6. 7. alia nonnulla, quæ brevitatis causa reticentur. Scientia autem Aristoteli eorum est, quæ semper, vel ut plurimùm,

mùm, nec non prænotiones Galeno eorum ſunt, non quæ rarò accidunt, ſed quæ ſemper, vel magna ex parte. Quòd autem & aſtringentia, craſſa, terreaq;, ſint & purgantia tenuia; teſtis eſt roſæ natura, in qua, eodem teſte, aliud guſtantibus acerbum ſentitur, quod neceſſariò, terreum, craſſum, frigidum, & aſtrictorium eſt; aliud amarum, quod neceſſariò igneũ, tenue, calidum, aperiens, ac purgans. Quoniam autem aloë ipſa dupliciter, hoc eſt, non lota in medicos uſus, & lota, adhiberi ſolet; porrò cenſendum eſt, tenuiorem illam, craſſiuſculam hanc eſſe. Nam, quemadmodum cinis, in aqua decoctus, omnes quidem ſubtiliores ſui particulas in eam deponit, craſſioribus, ac terreis eiuſdem partibus in cacabi fundo ſubſidentibus (ſcito autem, candide benigneq;, lector quod inibi legitur in cinerem, legendum eſſe, in aquam) ita quidem & ipſa aloë lota ſubtiliores ſui particulas in aquam exuit, craſſioribus in patinæ fundo reſidentibus. Etenim ſolida corporalis quæ in aqua abluuntur,

Gal. 4. reg. a. 49.

Gal. 4. ſimpl. ult.

Gal. 7. meth. 11. & 8. catatop. 2.

Gal. 8. ſimpl. 137.

tur, vel elixantur, cùm ſanè qualitates, quæ initio ſibi inerant, in aquã ita deponant, ut tandẽ, ἄποιε, quæ vocant & aquoſa, evadant adeò, ut nec ſalſedinis, amaritudinis, acrimoniæ, id eſt, caliditatis, & ſiccitatis, vel aſtri-
Gal. 3. ali. 32. ctionis, quicquam habeant, neceſſariò quidem & tenuiores ſuimet particulas in eandem aquam (craſſioribus remanentibus) deponunt, in quibus, ut in ſua materia, proprioq; ſubiecto, eorundem inerat acrimonia. In ſumma medicamentis omnibus, quæ lavantur acris omnis, mordensque, ſanies, &
Gal. 6. meth. 3. calida, tenuisq;, ſubſtantia, eluitur & abſtergitur. Par tamen ac cenſendum eſt, longè maiorem, per decoctionem, quàm per ablutionem, in medicaminibus fieri tenuiorum particularum à craſſis partibus ſeparationem. Etenim longè maior, & validior eſt, aquæ calidæ, quàm gelidæ, hoc eſt, aquæ, & ſimul ignis, quàm ſolius aquæ, in medicamina, actio, & vis. Hæc de ſubſtantia.

Quan-

Quantitas.

QVantitatis nomine ego quidem hîc, latinè dosim, græcè δόσιν intelligo. Aloes igitur, etsi drachmulæ semissem propinaverit Dioscorides utique tres eius obolos in regium morbum, quam ἰκτερικίαν Græci nominant, exhibens (obolus enim Galeno teste sescrupulum denotat) attamen ut plurimùm geminæ propinandæ sunt drachmæ iuxtà, tum Dioscor. illud. Aloe stomachum repurgat binum cochlearium mensura, in aqua frigida, vel lacte pota (cochlear enim Galeno, drachmam, nec non scrupulos tres connotat) tum, Galeni, sive alterius, illud. Aloes drachmæ duæ tristitiam abigunt, & os stomachi confirmant. Huic præterea sententiæ bonus Actuarius annuit, eius quippe siciliquum ex aqua mulsa dari præcipiens. Quod autem latini siciliquum, δίδραχμον Græci nominant. Siciliquũ autem ipsum, licet autore Gal. unciam præ se, & semissem, gerat, apud veterinarios (sunt autem hi ægrotantium, iumen-

Diosc. lib. 3. c. 24.

Diosc. ini- bi Gal. in de pond. & m. 8.

Diosc. lib. 3. c. 24. Gal. in de pond. & m. 8. Gal. mihi ult. Gal. in spu. lib. de medicin. exp. 8. Actuar. cap. de aloe.

Gal.in d. pond. & m. 10. colum. 6. lib. 8, cap. iumentorum & pecorum, Medici, qui vulgo Mareſcalchi nominantur) apud tamen rationales, atq; hominum, Medicos (ut ex Græcis patet) binas tantùm præ ſe fert drachmas. In eandem ſententiam devenit & ſubſcripit Meſues, affirmans: aloës doſin eſſe ab aurei, id eſt, drachmæ ſemiſſe, ad drachmas duas. Etenim aureus præ ſe quidem, in expurgantibus unicam drachmam, in alterantibus, unam & ſemiſſem gerit.

Meſ. in de ſimpl. 1. par. 1. cap.

Vulgatum eſt. Purgationis autem perfectæ cauſa tribus drachmis ſumi præcipit Dioſcor.

Dioſc. lib. 3. cap. 24. Illam autem perfectam eius eſſe purgationem cenſeo, quæ iecoris aduſq; loca pervenit.

Gal. 8. catatop. 2. Non enim aloë ipſa Galeno

Gal. ibid. purgatoriam vim fortem habet; ſed ut ea, quæ circa alvum ſunt, quæ etiam contingit, purgare poſſit; & ſi aliquando ampliori pondere exhibeatur, aduſq; loca circa hepar conſcendit. Non enim totius purgatoria corporis eſt Aloe. Hinc enim eiuſdem illud: Aloe modicè purgat adeò, ut eius vis ſuper ventriculi & inteſtinorum loca

Gal. 7. meth. 11. non aſcendat; aut, ſi quid ultra, vaſa

tantùm

antùm in mesenterio contingat. De eadem tamen aloes dosi, seu quantitate sic habet, rei medicæ Autor, non Medicus, Plinius. Aloe confirmat stomachum adeò, ut non infestet ulla vis cõtraria. Bibitur drachma. Ad stomachi verò dissolutionem in duobus cyathis aquæ tepidæ, vel frigidæ, cochlearis mensura, bis, ter vé, in die ex intervallis, ut res exigit. Purgationis etiã causa plurimùm tribus drachmis. Sanguinis excreationes, si modicæ sint, drachmæ pondere ex aqua, si minus, ex aceto, pota. Sciendum autem est apud Gal. in terim, drachmarum decadem, id est, drachmas denas, cyathum cap. 15. significare; drachmam autem unam 8. & ult. cochlear. & hæc de quantitate sint huc breviter congesta.

Plin. lib. 27. cap.
Gal. in de poad. & m. 15.
Gal. ibid. 8. & ult.

Relatio.

MEdicamina duplicem utiq; præ se relationem ac proprietatem ferunt; alteram erga totius; alteram erga partium, cùm deservientium, tum

tum principalium, temperiem, atque habitum. Priorem illam tunc meminit Gal. cùm bellè affirmavit, quod cuique naturæ conveniat, inveniendum medicamen eſſe. Nam quòd aliud alii medicamẽ proſit (ſubdit ipſe) etiam pueri fermè ſciunt. Item alibi. Cùm quidem hominum naturæ per multum invicem differant; aliud utiq; medicamen alii idoneum eſt, aliuq; aliud. Poſteriorem verò tunc meminit, cùm medicaminum, alia hepatica eſſe, alia nephritica, ſeu renalia, alia pleuritica, ſive pectoralia; in inſulſiſſimum, ac imperitiſſimum, Theſſallum aſſerens. Conſtat enim medicamina, tum quædam, Socratem, & Platonem, eodem quidem, & temperamento, habituq; præditos, & morbo laborantes, illum iuvare, hunc lædere, tum, alia ventriculo ſalubria eſſe, familiariaq;, & propria, ut, abſinthion, ac mentham; alia cerebro, veluti betonicam & pæoniam; alia cordi, ut, bugloſſum, & roſam, alia iecinori, velut eupatorion, & cichorium, alia nervis, ut, a-

Gal. 3. meth. 7.

Gal. inibi.

Gal. in de Ther. ad Piſ. 5.

Gal. 5. ſimpl. 12.

ut, aiugan, stœchadẽq́; alia spleni, velut, asplenõ, seu scolopendrion (citrach vulgò dicitur) & capparem; alia renibus, ut, nymphaan, & glycyrhizan (quarum, illa venufar, hac liquiritia, vulgò nominatur) alia tandem id genus aliis partibus. Vt autem ad propositum hæc redigantur, dicendum in præsentia venit, aloen ipsam, proprietatem, ac vim, suam, exercere, tam quidem intrinsecus in stomachum, ventriculum intestina, iecur, ac mesenterium (non enim totum ea corpus expurgat) quàm extrinsecus in penẽ, ac sedem. Maiorem tamen, ac potiorem, cum ventriculo, quàm cum alia corporis parte proprietatem, ac vim, iuxtà Gal. illud præ se fert. Aloe grata stomacho, medicamen est, ut si quid aliud. Horum autem omnium in actione, qui proprius eorum locus erit, testimonia ex galenicis in medium sententiis, & aliorum, coafferentur. Hæc in summa de relatione.

Gal. 8. cataiop. 2.

Gal 6. simpl. 26.

Qualitas.

Q*Valitatis, quod generalißimum*

genus

genus est, quatuor utiq; sunt Aristoteli in quarto decem prædicamentorum genere subalterna generula; videlicet tum habitus, ac dispositio; tum naturalis & potentia & impotentia; tum passio, vel passibilis qualitas; tum deniq; & forma, vel circa aliquid constans, figura. Sub tertio autem horum generulo, quæ passibilis est qualitas, sensuum continetur obiecta, videlicet (quatenus ad medicinalem pertinet Rempublicam) tum visus, albedo, rubedo, viriditas, nigredo, & colores id genus alii; tum auditus (etsi huius obiecta non ad rem faciant) vox, accentus, & sonus, acutus, gravis, circumflexus; tum olfactus odor, iucundus ac fœtidus: tum gustus, dulcedo, unctuositas, insipiditas, aciditas, austeritas, acerbitas, salsedo, acredo, amaritudo, aliiq; sapores: tum deniq; & tactus, caliditas, humiditas, siccitas, frigiditas. Harum autem qualitatum, alias utiq; primas, alias secundas esse, constat. Quæ enim tactus obiecta sunt, quales sunt caliditas, humidit. sicc. & frigid. primæ quidem

Gal. in de ocul. part. 5. cap. 2. Gal. 1. simpl. 35. 37.

m, & dicuntur, & sunt qualitates
eo, quòd ab aliis nullis superioribus
alitatibus, sed ab elementari sola
bstantia, formaq; proveniant. Quæ
tem sunt obiecta, visus, olfactus, &
stus; omnes profectò secundas esse &
ci, qualitates, tam Philosophi, quàm
Medici, autumant. Efficinanq; has à
imis & varia illarum commistione,
uet: verbi causa ab intensa calidita-
nigredinem, ut apparet, in carbone Gal. 10.
opter ignem, inq; Æthiope ob solem: simpl. 1.
frigiditate albedinem, ut in nive &
cytha. Item vocis acuitas & gravitas,
unt quidem immediatè à faucium
gustia, latitudinéq;, mediatè autem
frigiditate & caliditate. Nam fau-
um ipsarum, angustia provenit à
igiditate, gravitas autem contrà à
liditate: Galeno. Odorem præterea
Galeno si credendum sit) fieri constat Gal. in Ar
caliditate fumosa, iuxta eius illud: te.m. 68.
ectè, visus igneus dicitur, audi-
us aëreus, gustus aquosus, tactus
rreus, olfactus fumosus. Quatuor
nim elementa quatuor sensus consti-

tuunt

tuunt adeò, ut eorum unusquisq; unū ex his comprehendat. Vel fortasse fi odor ab aliquo innominato, caliditatis, & humiditatis, medio, sic eodem habente. Aliquid, quod inter aeris & humoris, naturam est, in odorand sensum cadit, quod neq; ita tenue es ut aer, neq; ita crassum ut humor. Id enim, quod à rerum corporibus ex halat; odoris substantia est. Quod ex rosis maximè, & similibus, quæ sic te nera sunt, cognoscere licet, quorum o mnium corpora celeriter quidem, & minora, & sicciora, redduntur. E quo apertè intelligitur, ex earum rer substantia partem humidiorem in ha litum digeri. Itidem alibi. Cum i rosæ natura, aliud gustantibus, acer bum, terreum, crassum, & frigidum sit, aliud amarum, igneum, tenue, & calidum, aliud insipidum, aqueum mediocris substantiæ & frigidum sane ipsum hoc aqueum, elabor tum, extenuatumque, & exca factum, quodammodo videtur, proinde facilè in vaporem solvi, & h

Gal. in de ocu. 2. par. 6. cap.

Gal. in de instrum. 10.

Gal. 5.

ration

ratione rosam, tum odoratam esse, tum celerrimè resiccari. Præter hæc & sapores rationi consentaneum est à primis illis qualitatibus effici. Nam dulcedo fit à moderata caliditate, amaritudo ab intensiuscula, acredo ab intensissima, iuxtà eiusdem illud: Dulcia calida sunt, amara calidiora, acria calidissima. Nam, terminus seu fines dulcium est nutrire, amarorum abstergere, acrium urere. Sapores autem id genus, ut dictum est, fieri in melle quidem, rerum magistra, experientia veluti digito commonstratur. Etenim id primùm ab ingenita, moderataq; duorum tantùm ordinum caliditate dulce existit (nam secundum qualitatum ordinem non excedentia leviter esse talia dicuntur, ac mel ciborum omnium dulcissimum est) demum longa decoctione fit amarum; postremò & longissima acre. Præterea, tam unctuositas, quàm insipiditas & aqueitas, fiunt à frigiditate. Austeritas deniq; & acerbitas efficiuntur, illa quidem ab imbecilliori, hac ab intensiori frigidi-

simpl. ult. Gal. 10. simpl. 1. Gal. 4. simpl. 18. Gal. 4. simpl. 17. Gal. 8. simpl. 98. Gal. in de atten. u. r. G. l. 4. simpl. 17. & 3. reg. a 2. Gal. 4.

simpl. ult. tate Galeni iuxta illud. *Voco austerum id, quod στύφον græcè, id est astringens dicitur, acerbum autẽ, quod στρυφνόν, hoc est intensum austerum.*
Gal. 5.
simpl. pen.
Item. Plato in Timæo, duos sapores, id est, austerum & acerbum, numerat eiusdem planè speciei, sed in ratione maioris ac minoris, invicem differentes. Fuerit autem austerus, quem στύφοντα, sive astringentem nuncupamus; acerbus autẽ, qui huius intẽsione provenit. Nam astrictio est operatio crassæ, terreæq; frigiditatis. Secundas igitur qualitates à prioribus, iam dictis, quatuor effici, sole clarius meo iudicio iam constat. Quia verò & secundarum eiuscemodi qualitatum duplex, & qualitatum triplex, Galeni genus est, ideo primò de illis, hoc est secundis aliis qualitatibus à me dicendum in præsentia venit; postremò & de his, videlicet de tertiis, sermocinaturo qualitatibus. Præter iam commostratas, quæ planè quinq; sensuum obiecta sunt, secundas qualitates etiam alia
Gal. l.
simpl. 36.
Gal. 4.
meth. 7.
Gal. 7.
simpl. 18.

alia plures à Galeno secunda pariter qualitates connominantur. Sunt autem hæ maturatio, emollitio, obstructio, apertio, abstersio, incrassatio, digestio, accensio, putrefactio, corrosio, cicatricis obductio, carnis generatio, consolidatio, doloris sedatio, astrictio, rarefactio, condensatio, induratio, evacuatio, repletio. Præterea & repercussio, attractio combustio, conglutinatio. Præter has etiam, me Palamone, penetratio, attractio, discussio, digestio, concoctio, somni inductio, vigiliæ illatio, ventrisq; & defluxus & cohibitio. Liquet enim & hasce primarum quidem esse qualitatum effectus. Nam efficiuntur maturatio à caliditate & humiditate; mollitio à caliditate, obstructio à frigiditate, crassitie, & viscositate: Apertio ab acri caliditate & crassitie: Abstersio cùm quidem à frigiditate, tum à caliditate, ut plurimùm tamen, subtilitati coniunctis, & siccitati, ut patet in lixivio quod quidem & abstergit, exiccatq; & subtilis-

Gal. in de ocul par. 5. cap. 3.

Gal. 10. simpl. 1.

Gal. 8. meth. 4. & inde ocul. part. 5. cap. 3.

Gal. ibid. tilissimum est. Non enim à caliditate
& 5. sim. solùm, verum etiam à frigiditate (licet
14.16. non ex se) abstersionem fieri liquet.
Gal. 14. Tam nanque frigida, quàm etiam ca-
meth. 7. lida, sunt abstersoria. Frigida quidem,
velut hordeum, faba, cadmia, pom-
pholyx, aliaq; plura. Calida autem, ut
Gal. 3. thus, orobus, aristolochia, panax & a-
meth 3. lia plurima. Abstergere præterea con-
Gal. inibi. stat hordeum & fabam, 7. simpl. Cad-
Gal. 9. miam 9. eiusmet. Aristolochian 6. eius-
simpl. 53. dem. Thus 7. eiusmet. Necnon & oro-
59. Gal 9. bum, & panacem, 8. eiusdem. Ut au-
ejusd. 37. tem ad propositas secundas qualitates
Gal. 6. iam fiat reditus, efficiuntur etiam in-
ejusm. 59. crassatio à frigiditate, subtilitati ta-
Gal. 7. ejusd. 81. men adiuncta iuxtà Gal. illud: Incras-
Gal. 8. sandi facultas frigidis & crassis inest
ejusm. 27. essentiis. Quemadmodum contra vis
36. extenuandi in calidis ac tenuibus est
Gal. in de sita substantiis. Item, dissectio fit à ca-
ocul. par. 5. liditate. Accensio ab intensa calidita-
cap. 3. Gal. 5. te. Putrefactio ab extranea, præter-
simpl. 20. naturaliq;, tam caliditate, quàm hu-
Gal. ibid. miditate Pergameni iuxta illud: O-
Gal. in de

mnia,

mnia, quæ putrefiunt à calido & humido, sic afficiuntur. Corrosio à caliditate, & siccitate. Cicatricis obductio à siccitate & astrictione, vel à frigiditate & siccitate, astrictioni, viscositatiq; coniunctis. Carnis generatio à moderata, caliditate, & humiditate, id est à sanguine eodem sic habente. Quoniam in cavo ulcere id nobis proponitur, ut caro, quæ periit, restituatur; scire licet generandæ carnis, materiam sanguinem bonum esse, opificem (ut ita dicam) autoremque naturam. Caro namque ipsa ortum habet à sanguine Sanguinem autem ipsum, interim, calidum, & humidum, interim contrà, non talem, sed temperatum, Gal. affirmat. Consolidatio fit à siccitate & astrictione; nam siccitas ipsa, vicina populando, partem quadantenus astringit. Doloris sedatio à moderata caliditate & humiditate. Humiditate autem: nam exiccatoria medicamina planè sensibilia corpora colliquant, doloreq; afficiunt. Astrictio à terrea frigidi-

ocul. par. 5. cap. 3.
Gal. inibi
Gal. 4. meth. 5.
Gal in de ocul. par. 5. cap. 3.
Gal. inib.
Gal. 4. meth. 7.
Gal. 3. ejusd. 3.
Gal. ibi 5.
Gal. 2. de natural. f.
Gal. 1. de nat. h. 35.
Gal. 1. de san. t.
Gal. in de ocul. par. 5. cap. 3 & 5. simpl. 2. & 2. cata top. 5. & 13 meth. dist. 2. test.
Gal. 5.

simpl.14. Gal.7. simpl.18. Gal.5. eiusm.14. Gal.inibi. Gal.in l.de ocul.par.5. cap.3. Gal.5. simpl.14. Gal.1. catatop.2. Gal.3. meth.3. Gal.in l.de ocul.par.5. cap.3 & 5. simpl.16. Gal.2.de natur.f. Gal.4. simpl.12. Gal.4.11. eiusm.12. 16. Gal.in l.de ocul.par. 5.cap.3. Gal.5. simpl.20.

giditate. Rarefactio à moderata cali-ditate & subtilitate. Condensatio ab aquea frigiditate. Induratio à frigidi-tate, forsan tamen aquea, si conden-satio, & induratio idem sint. Re-percussio, calidi à frigiditate, frigidi autem a caliditate, utraq; tamen a-strictioni iuncta: Perit enim à contra-rio quidque. Attractio à caliditate, subtilitati coniuncta. Vel fiunt hac à caliditate & subtilitate, illa contra à frigiditate & crassitie. Combustio ab intensissima caliditate. Penetratio à caliditate, subtilitati iuncta, nam penetrationi inhabilem crassitudinem & viscositatem, esse constat. Ideoq; & calida frigidis, & tenuia crassis, magis penetrare, vult Pergamenus. Attenuatio fit à caliditate, subtilitate tamen addita, Gal. iuxta illud. Facul-tas extenuandi, in calidis ac tenuibus substantiis est sita, incrassandi verò frigidis & crassis inest essentiis. Dis-cussio à caliditate. Tenuitati tamen adiuncta, necnon apertioni, dissectioni & abstersioni. Digestio à mediocri ca-

liditate, moderatæ astrictioni, subtilitatiq; iuncta. Concoctio pariter à mediocri caliditate, moderatæ astrictioni, tenuitatiq; coniuncta. Somni inductio ex se quidem à frigiditate & humiditate, ex accidenti verò etiam à caliditate vaporosa atque replente, quemadmodum in vino, alliis & aromatis usu venit. Vigiliæ provocatio contra à caliditate & siccitate. Tandem & defluxus alvi cohibitio à siccitate fit, astrictioni coniuncta. De secundis igitur hæc narrata sint qualitatibus. Ut verò de qualitatibus tertiis (quod supra pollicitus sum) aliqua enuncientur, hæc subdenda veniunt. Qualitatum, quemadmodum secundæ (monstratum ut est) à prioribus immediatè efficiuntur: ita quidem & tertiæ, quibus de faciendus est in præsentia sermo, fiunt immediatè à secundis, mediatè autem, hoc est, secundarum interstitio medioq; à primis. Eiusmodi verò novissimæ qualitates, ad morbos utiq; referuntur, & affectus præter naturam, ideoque

5. simpl. 17. Gal. 1. catatop. 2. Gal. 8. eiusd. 2. & 3. sim. 17. Gal. 6. 7. simpl. 48. 29. Gal. ibid. Gal. 4. de san. t. & 3. de loc. a. 5. Gal. inibi. Gal. 7. simp. 107. & ali. 44.

sunt, tum calculorum & lapidis effractio; tum pectoralium & pulmonarium sputorum expectoratio; tum
Gal. in de ocul. part. 5. cap. 3. *exiccati lactis ac spermatis revocatio; tum suppressorum & mensium & urinæ provocatio; Item, & putridæ febris curatio, & abscessus, sive apostematis, sanatio; necnon aliorum id genus affectuum exactiones plurimæ, quas, brevitati studens, prætereo. Fiunt enim,*
Gal. ibid.
Gal. ire. de ren. a. d. & m & 6. de san. t. & 14. meth. 16. *calculorum, & lapidis, effractio à crassitudinis attenuatione, & viscositatis dissectione, quæ talium sunt affectuum caussæ; moderata tamen, ac tepida, illis addita, non vehementi, tam caliditate, quàm siccitate. Pectoralium &*
Gal. in de ocul. part. 5. cap. 3. & 7. simp. 18. *pulmonarium sputaminum expectoratio à dulcedine, vel non prorsus amaritudine, & moderata caliditate (cuidam tamen humiditati coniuncta; nam dulcia & humida pectus leniunt, atque pulmonem) necnon à crassitudinis attenuatione, & lentoris dissectione. Exiccati, lactis, ac spermatis, revocationem, molimur, Galeno autore, moderata caliditate & humiditate.*
Gal. 7.
Gal. 5. simpl. 21.
catatop. 22
Gal. in de asten. u. r. in fine.
Gal. ibid.

Ad hi-

Mihi autem apertione cuivi tamen imbecilla, id est, primum non excedens ordinem, sit adiuncta tam caliditas, in (ni fortè decipior) quàm siccitas, id est, humiditas nam ipsummet lac & semen, astrictione & siccitate dissipatur. Suppressorum & mensium & urinarum, provocatio valida fit, tam ab uteri, quàm renum & pororum uritidium, & vesicæ meatuum, apertione; & ex consequio vehementi caliditate modica tamen siccitate coaddita. Siquidem, quò facillimè renes id, quod in sanguine, aqueum, tenue, & serosum, est, ad se attrahant; utraq; hæc conferunt, nempe sanguinis, primùm, fusio, id est, colliquatio, deinde segregatio; quorum nullum, absq; valido calore & apertione, peragi queat. Putridæ febris curationem effici constat apertione, attenuatione & dissectione (loquor autem de quotidiana, ex crassa, lentaq; pituita, obstructione genita) nam id genus febris efficitur ab obstructione. Obstructio autem fit à succorum & crassitie & viscositate.

Gal. 5. simpl. 22.
Gal. 3. de facile p. 238.
Gal. 7. simpl. 107.
Gal. in de facit. a. c. 5. a. 18.
Gal. in de medicin. f. p. 42.
Gal. 5. simpl. 13.
Gal. 5. simpl. 13.
Gal. 1. de differ. f. 1. & 3. & 1. de dif. p. 8.
Gal. 8. meth. 4.

Apostematum autem sanationem commolimur, & repulsione, ut in eorum principio, & discussione, velut in fine & utraq; scilicet in medio. Proveniunt siquidem abscessus ab earum contrariis, quæ quidem sunt humorum confluxus & cohibitio. De primis igitur, secundis, ac tertiis, substantiis satis superq; dictum iam sit. Verùm enimverò, ut ad proprium, suumque propositum, hoc est, ad proprium eiusce capitis subiectum, quam aloën esse constat, hæc redigantur, hæc subdenda veniunt. Aloë, non lota, quò ad substantiam (monstratum ut iam fuit in substantia) tenuior est quàm lota; quò autem ad qualitates primas est quidem ordine, vel primo intenso, vel secundo remisso, calida, tertioq; sicca; quo deinde ad secundas est porrò, tum in passibilibus, & visui, rufa, nitidaq;, & olfactui tota gravi odore, & gustui, eximiæ amaritudinis, hoc est, amarissima; &, visui, tactuiq; syncera, calculorum expers, friabilis, iecinoris modo coacta, facilè liquescens (quæ commu-

Gal. 6. catatop. 1. & 3. simpl. 9.

Gal. 8. catatop. 3.

Gal. 6. simpl. 26.

nia

nia plurium sensuum obiecta sunt) inque summa, doli, sive adulterij, nihil sentiens. Nam & nigra quidem improbatur, & fractu contumax; tum præterea in reliquis secundis qualitatibus est modicè astringens, repellens, digerens, paulumq; extergens, necnon modica illa astrictione, densans, & spissans. Cùm igitur aloë, tum fortiter amara sit, & amarissima; tum eximiæ amaritudinis eligi debeat; utiq;, tam Quiricũ Augustum, Apothecariorum luminis, quam Paulum Suardum, Aromatariorum Thesauri, expositores, unà cohallucinatos esse liquet, aloën ipsam, nõ insigniter, sed remissè, amaram, seligendã esse, fœtidis in minoribus catapotiis unanimiter coaffirmantes. Aloë verò lota est sanè nõ lota illa: tũ crassior, tenuioribus particulis iam, dilutis, ac dissipatis (ut in substãtia mõstratũ est) tũ præterea & minus calida siccaq;, nã qualitates omnes, præcipueq; ei contrariã siccitatem, aquei planè exolvit admistio. Perit enim in contrarium, & à contrario quidq;. Quocir-

Diosc. lib. 3. cap. 24. & Gal. 9. simpl. 26.
Gal. ibid.
Diosc. ubi suprà.
Gal. 4. simpl. ubi.

Gal. 5. meth. 3. Gal. 6. eiuſm. 3. Gal. 5. eiuſd. 1.

ca medicamentis omnibus, quæ lavantur, acris, mordenſq; ſanies, eluitur, & abſtergitur. Acria enim, calida, ſiccaq;, neceſſariò ſunt, tum præterea minùs eſt, & rufa nitidaq;, & fœtida & amara; partibus quidem igneis, quæ ſubiecta erat talium obiectorum materia, reſectis, ac terreis reſidentibus (*at nihil obſtet, amara eſſe Galeno terreſtria; ſunt nanq; tenuia*) *Etenim ignea ut plurimùm ſunt rubea, ſplendida, odorata, & amara; terrea verò contra nigra, opaca, inodora & acerba, vel ſaltem auſtera, tum deniq; eamet lota aloë eſt, magis quàm non lota aſtringens, & reprimens; mihiq; Palæmoni minùs, tã digerens, quàm extergens; quòd planè digeſtio & abſterſio, à caliditate, & ſubtilitate, ex ſe, plurimumq;* (*monſtratum ut ſuperiùs eſt*) *non à frigiditate & craſſitie, proveniat. Verum enimvero, vera ſi quidem Galenus enunciavit, aſſerens: ſolida, quæ in aqua elixantur, corpora, qualitates, quæ initio ſibi inerant, in eam ita deponere, ut tandem, ἄποια*

Gal. 5. ſim. penul.

Gal. 7. meth. 11. & 8. catatop. 2.

cōtradict.

quæ

quæ vocant, & aquosa, evadant; neq; salsedinis, amaritudinis, acrimoniæ, vel astrictionis, quicquam habeant; quânam itaq; ratione, quóve mentis impulsu, idem Galenus, ubi supra, videlicet, septimo meth. & octavo catatop. ipsam affirmavit aloën, ventrem quippe non lotam valentius quàm lotam evacuare, lotam autem contrà, ventrem ipsum minùs purgare, ventriculum autem magis, corroborare, & astringere, cùm quidem astringentibus robur affectis partibus Gal. inferatur? Ni forsan esset, quòd de medicaminum, ibi quidem elixatione, hic verò lotione, locutus ipse fuerit. Constat autem medicaminum ipsorum qualitates, illam validiùs, hanc ægriùs, auferre. Ut proinde censendum forte sit, aloën ipsam, siquidem elixaretur, omnem penitus fore, sibi ingenitam, astrictionem, ejecturam, & amissuram. Sed de hoc fusiùs in nostro libro disseritur, cuius inscriptio: Galenicarum contradictionum conciliator. Hæ autem, duarum & quinquaginta, supra

Gal. 3. alim. 32.

Gal. 7. meth. 11. & 8. catatop. 2.

Gal. 2. ad Glauc. 2. & 22. met 16. & 7. simpl. 18

Solutio.

quadringentas, numerum hactenus complévere. Et hæc de secundis, & non lotæ & lotæ aloës, qualitatibus. Quà verò ad tertias pertinet eiusdem medicamenti qualitates, utique pollet id, primò sanguinis cohibitione ob astrictionem ingenitam (molitur autem hoc topicè foris applicita) secundo capitis molestiæ sedatione, à venticulari vapore factæ, ventriculum expurgans, tertiò fluentis capilli retentione, ob mediocrem sui astrictionem; quarto insomniæ remotione (cuius remotio flavæ bilis expurgationi, quam ipsa molitur aloë, referenda est accepta; quæ, propria, suaque, & caliditate, & siccitate, est insomniæ causa. Fiunt enim à frigiditate & humiditate somnus, à caliditate & siccitate, vigilia) quinto, palloris & decolorationis correctione, eandem bilem expurgans; sextò præpollet eadem aloë capitis doloris, privatim factâ, sedatione, eandem eximens: septimò, oculorum, narium & oris, phlegmonum extinctione, eandem bilem educens, quæ quidem ignea vi superio-

Diosc. lib. 3. cap. 24.
Actuar. c. de medica. purg.
Diosc. ubi supr.
Dios. inibi.
Gal. 3. de loc. a. 5. & 2. de temp.
Actuar. inibi.
Diosc. lib. 3. cap. 24.
Gal. 6. simpl. 26.

ra petit & afficit; octavò oculorum, & scabræ lippitudinis (ὀφθαλμίαν græci nominant) & angulorum pruriginis, à ventriculari vapore factæ, curatione, ob eiusmet bilis eductionem; nono eorundem oculorum pterygiorum (unguem nominant) cicatricis obductione; decimò, livoris, ac insignitorũ, remotione, ob astrictionem & siccationem, vel propter bilis eductionem; undecimò, oris, linguæ, & gingiuarum, tum siccitatis emendatione, ob eandem causam, tum tonsillarum, & omnium ulcerum, quas ἄφθας Græci vocant, remotione ob astrictionem, repressionem, exiccationemq; vel biliosæ talium causæ eductionem; duodecimò sedatione sitis eadem ratione; decimotertiò, stomachi, ventriculiq;, vomitionis, ab insuavi re, vel retorrido nidore, factæ, cohibitione (effectum autem hunc ingenita molitur amaritudine, quæ quidem & crassa tenuat, & lenta dissecat, & meatus abstergit) decimoquartò earundem partium, hoc est, ventriculi,

Diosc. & Actuar. ubi supr.
Diosc. ibid.
Dios. inibi.
Actuar. ubi supr.
Dios. inibi.
Actuar. ubi supr.
Actuar. & Diosc. ubi supr.
Gal. simpl. 26.

stoma-

ſtomachiq; , eſt inſignita corroboratione, ob aſtrictionem (eſt autem, ventriculus, alimenta recipiens, ſacculus; ſtomachus autem eius oſtium, licet alibi ſtomachi nomine, tam ille, quàm hoc conſignificetur). decimoquintò prædita quidem eſt aloë tum triſtitiæ exactione ob flavæ bilis purgationem, & cordis aſtrictionis vi roborationem, quæ aſtrictioni refertur accepta; tum regii morbi, propter flavæ bilis eductionem, expurgatione; tum pudendi, & plegmonarum propulſione, & vulnerum conglutinatione, ob aſtrictionem, repulſionem, ac digeſtionem; tum genitalium exulcerationis medicatione ob aſtrictionem, exiccationemq; (nam & aſtringentia omnia ſiccant. Omne enim terreum ſiccans. Omne aſtringens terreum. Omne igitur aſtringens ſiccans. Syllogiſmo in primæ primo, & ulcera ſiccantibus egent) tum recentium, nonq; madidorum, penis ulcerum ſalutari medicatione propter eandem aſtrict. tum ulcerum omnium, præſertim autem & talium, quæ ægrè ad cicatri-

Gal. 6. ſimpl. 26. Gal. 2. alim. 22. Gal. 1. reg. a. 18. Gal. in ſpur. lib. de medic. exp. 8. Gal. 2. ad Glauc. Dioſc. ubi ſupr. Gal. 6. ſimpl. 26. Gal. ibid. Gal. 8. ſimpl. 81. Ariſt. 2. de gener. 24. Gal. 7. ſimpl. 18. Gal. 4. meth. 5. Gal. 5. meth. ult. Dioſc. ubi ſupr.

catri-

atricem ducuntur, & pudendi conglutinatione, & cicatrizatione, ob eandem astrict. tum alvi, seu ventris subductione propter astersionem, ac expurgantem vim; nam detersoria ad dejectionem sunt idonea; tum praterea pollens est eadem aloë disruptorum in infantibus coniunctione, ob astrict. tum hæmorrhoidum abundantia, & sanguinis eruptionis, cohibitione, propter eandem; tum sedis & phlegmonum propulsione, & vulnerum conglutinatione, ob astrictionem, repulsionem, ac digestionem; tum condylomatum, sedisq; rimarum, sanatione, propter easdem secundas qualitates; tum sinuum conglutinatione, ob astrictionem; tum deniq; ulcerum omnium, præsertim autem & talium, quæ ægrè ad cicatricem ducuntur, & ani conglutinatione, & cicatrizatione, ob eandem ipsam causam. Et hæc in summa dicta à me sint de primis, secundis, ac tertiis, tam qualitatibus, quàm aloes qualitatibus; exactiùs tamen de eisdem

Diosc. ubi supr. & Gal. 6. simpl. 26.

Gal. 1. reg. a. 18.

Diosc. ubi supr.

Diosc. ubi supr.

Gal. 6. simpl. 26.

Diosc. ubi supr.

Gal. 6. simpl. 26.

Diosc. ubi supr.

dem in proprio capite, videlicet in acti one, ſubinde dicturo.

Actio.

MEdicaminum tam ſimplicium quàm compoſitorum, tot quidem ſunt actiones, quod qualitates. Ab agentibus enim, ac eorum actionibus non qualitates tantùm, verùm etiam ſubſtantiæ proveniunt. Illæ quidem à medicamentis; Hæ ab alimentis. Medicamentum enim omne id Gal. appellat, quod naturam noſtram alterare, id eſt, calfacere, refriger. ſicc. & humect. poteſt. Nutrimentum autem quicquid ſubſtantiam inaugere. Non enim ſarcotica, ut thus, ervum, iris, ariſtolochia, cadmia, pompholyx, & panax, in ulcere, ſed natura, carnem ingenerant, Galeni iuxta illud: Ipſa carnis in ulcere generatio, non Medici, ſed Naturæ opus eſt. Itaque ægro ad eam rem nihil eſt opus arte medica, vel medicamentis. Non namque ſarcotica ipſa carnem medicamina generant, ſed exulcera-

1. ſimpl. 1.

Gal. 2. meth. 2. 3.

Gal. 6. meth. 6.

tam

tam carnem, à caliditatis & humiditatis symmetria recedentem, ad earum symmetriam revocant. Cùm fieri eidem non possit, ut in ulcere, carnis productio, sinus impletio, agglutinatio, vel cicatricis inductio rectè unquam cedat; nisi subjecta caro pro naturali modo se habeat. Praeterea qualitates ab igne, aere, aqua, terra, morali Philosophia, Medicinaq; proveniunt. Ex illis quidem in Megacosmum; caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. Ex hisce verò in Microcosmum, pax, quae sanitas est animae; & sanitas, quae pax est corporis. Substantia verò ex salamandrae, aquilae, delphini, leonis, atque hominis, cùm propriis, suiq; foemellis, coitu, ex illis pulli, ex novissimo puer, in lucem prodeunt, eq; potentia deducuntur in actum. Aloës igitur duplices sunt actiones, altera quidem intrò in corpus devoratae, altera verò circa idem forinsecus applicitae. Quatenus igitur ad devoratam pertinet utique, vel in humorem, vel in affectas à tali humore, aliquóve Gal. 5. meth. 8.

affe-

affecta, partes, vim ſuam exerit. In humorem quidem, ſ ... iam bilem flauam, ut ferrum magnes, ad ſeſe attrahit (tali nanque vi purgantia pharmaca ſunt, Galeno autore, prædita.) Quòd autem id genus humorem detrahat, ſic aſſerit optimus Gal: Aloe biliosas affectiones in humoribus vitiatis circa ſtomachum, ventriculum, alvum, & loca circa hepar, maximè iuvat. (eſt autem, hic alimenta ſuſcipiens ac continens, ſacculus, ille eius oſtiolum.) In affectas verò partes, nam & cerebrum, capitiſque partes, & cor, pulmonem, pectusque, & iecur, & ſtomachum, ventriculumque, & inferiorem ventrem, eadem coadiuvat aloe. Cerebrum quidem, & caput, Actuarij iuxta illud: Aloe capitis, à ventriculari vapore factam, moleſtiam ſedat. Item: Aloe ſomnum allicit, hoc eſt, inſomniam exigit. Capitis autem partes, nam vultus, pallorem, ac decolorationem, ab occulta cauſa evenientem, corrigit. Oculorum itidem, à ventriculari vapore factam, lippitudinem curat. Oris item,

Gal. in de Ther. ad Piſ. 1.

Gal. 8. catatop 2. & in Dinamid. 6.

Actuar. in de ſimp. med. purg. c. de aloe.

Dioſc. lib. 3. cap. 24.

Actuar. ubi ſupr.

Actuar.

lingua, siccitatem, emendat. Sitim idem sedat. Cor etiam ideo iuvare editur, quòd quidem eius drachmæ ...æ, devoratæ, tristitiam abigant. Pulmonem etiam, pectusq; nam sanguinis de reiectiones sistit. Manum præter... porrigit & iecinori, cùm sanè regium eius morbum (ἴκτερ@ græcè nominatur) eidem expurget. Suppetias præterea fert, vel peculiares, & maximas, tam stomacho, quàm ventriculo, quibus utique gratum ut si quid aliud est medicamen; ipsos quidem expurgans, vomitumq; ab insuavi re, vel re... orrido nidore provenientem, eisdem prohibens. Necnon stomachum ipsum, ...d est, os stomachi duarum drachmarum exhibitione corroborat. Cæterum; quia difficile est, aliquod auxilium & medicamen invenisse, quòd citrà ullam noxam magnificè prosit; hoc est, quod multùm prosit, & nihil obsit; profectò etiam ipsa aloe noxæ immunis non est. Neq; enim illi propinanda est, qui ventriculari phlegmone laborat, nisi per eius inclinationem. Neque

ubi supr.
Actuar. ubi supr.
Gal. in de medic. c. 8.
Diosc. ubi supr.
Diosc. ubi supr.
Gal. 6. simpl. 26.
Diosc. ubi supr.
Actuar. ubi supr.
Gal in de medic c. 8.
Gal. 11. meth. 11. & 4 reg. a. 13.
Aet. lib. 5. cap. 75.

præte-

prætereà illi qui citrà noxiis humoris præsentiā, sola afficitur, calida, siccaq; intemperie; vel frigida & sicca, id est, biliosa, vel melancholica. Quòd prius illud verum sit, tali fassus est Gal. sententia: Ventriculo, interna phlegmone vexato, exhibenda aloë non est; cùm quidem huic purgandi, ipsius ventriculi vis quædam insit, ideoq; ipsi, phlegmone lancinato, nova quidem & aloes & purgationis, vi coadderetur afflictio; Cùm quidem omnia, quæcunq; purgant, medicamina, ventriculum lædant, & maximè eius ostium, quod nervis quam plurimis constat, & acutè sentit. Cæterū, ubi phlegmone prorsus inclinaverit, si quis aloes paululum exhibeat dejiciendi ventris gratia, qui prorsus non deiecerit, nihil lædet. Verùm satius erit, etiam in declinatione, non quidem aloe ipsa, sed, mercuriali, urtica, cnico, vel imbecilliorū talium aliquo, sic laborantium aluum subducere. Quòd tandem & posterius aliud sit verum, ejusdem talis annuit, astipulaturque sententia. Aloen quidam lotam

Gal. 13. meth. 3. dist. 14. test.

Gal. in lib. Quos. p. c. q. m. & q. t.

Gal. 13. met. 3. dist. 14. testu.

lotam febricitantibus (si quidem non vehemens, sed valdè debilis, eorum sit febris) dare audent; quidam verò etiam ex illota aloe pharmacum multis sic febricitantibus exhibuerunt; deinde, cum nihil manifestè læsissent, in aliis rursus magnam experti sunt cladẽ. Infestissima enim est aloe, etiam lota, his, qui citrà vitiatos humores ex intemperie calida & sicca, seu febrili, affligitur. *Proximam ab his cladem percipiunt, qui siccam intemperiem, frigiditate implicatam, inque universum*, qui ex sola qualitate particulam aliquam, affectam, ac læsam, habeant. *Etenim in humoribus intemperatura pharmacis ipsis evacuantibus egent.* Quæ verò absque his intemperies, consistunt; penitus quidem in tabem deveniunt ex pharmaci hujus, ex aloe constantis, usu. *Itaque, ubi vitiata humiditas ventris tunicas perrigat; picra ex aloe utilis est, humiditatem expurgans.* Quà vero pertinet ad eandem aloen

Gal. 8. catatop. 2.

exti-

extimæ cuti forinſecùs applicitam; primò quoad univerſales eius facultates utiq; tum ſanguinis eruptiones ſiſtit; tum ſicca glutinandis vulneribus inſpergitur; tum ulcera ad cicatricem perducit, cohibetq; tum ea, quæ ægrè ad cicatricem duci poſſunt, ſanat; tum ſinus conglutinat. Demum quo ad privatas & corporis partibus relatas, eiuſdem vires, in tenuem veluti pollinem redacta, pericranioq; ſeu calvariam obducenti, cuti cum vino, applicita; vel albo, odoro, acri, tenui, vetuſto, ad eius deductionem: vel nigro, inodoro, auſtero, craſſo, ad inſpiſſationem: vel utroq; ob utrumq; finem, fluentem capillum continet. Molitur autem hoc moderata illa ſua aſtrictione (quemadmodum & de ladano Gal. affirmat) pravi quicquid humoris eorum ad radices ſederit, ſiccitate, caliditateq; id omne abſumens: tum præterea & quibus infixi ſunt, meatus, aſtrictione, à caliditate, ſubtilitateq; intra eos deducta, contrahit, & corroborat. Oportet enim ea, quæ fluentem cohibere ſunt

Dioſ. lib. 3. cap. 24.
Dioſc. inibi.
Dioſc. ibi.
Gal. 6. ſimpl. 26.
Gal. inibi.
Gal ibid.
Gal. 7. ſimpl. 29.
Gal. ibid.

capil-

capillum idonea, tenuia quidem eſſe, & ſiccantia, non tamen uſq; adeò, & ſubtilia, & ſiccatoria, ut quidem & nimio plus deſiccent, & unà cum collectis inibi præter naturam, ſuccis, naturalem quoque humiditatem, nutrimentum & incrementa pilis ſuppeditantem abſumant. Nam ſic, non tantùm capillis hominem liberabunt, ſed & calvitiem ei afferent. Cùm autem aloën ipſam tertii ſiccantium ordinis eſſe liqueat; utiq; fortiter eam ſiccare par eſt, quòd quidem ea ſolùm, quæ ſecundum qualitatum ordinem non tranſiliunt, leviter eſſe talia, conſtet; quemadmodum contra ea fortiter, quæ eundem tranſiliunt. Ut propterea Galenica quidem illa de aloëtica fluẽtium capillorum cohibitione ſententia Palæmoni mihi titubare videatur. Immoderata namq; trium ordinum deſiccatione capillis ipſis tam incrementum, quàm nutrimentum, eximet aloës. Præterea, temporibus eadem ac fronti, ex aceto, roſaceoq;, vel oleo, vel unguine illita; capitis dolorem priva-

Gal. ibid.
Gal. 6. ſimpl. 98.

Dioſ.lib.3. cap.24. tim, proprieq; ſedat. Necnon livores oculorum, & inſignita ex melle tollit.
Dioſ.inib. Oculorum itidem & ſcabras lippitudines, & angulorum prurigines, priva-
Dioſc.ibid. Gal. 6. ſimpl.26. tim proprieq; permulcet. Aqua etiam ſubacta oris narium & oculorum, phlegmonis congruit. Itidem tonſillis, hoc eſt, faucium tumoribus, affectis gingivis & omnibus oris ulceribus, quas ἄφθας Græci nominant, tenuiſſimè pulverata, & cum melle, vinoque permiſta, proficit. Pterygia, quæ oculo-
Dioſ.inibi. rum ungues dicuntur, ab eorum per hamulum avulſione, tenuiſſimum in pulverem redacta & inſperſa, ad cicatricem ducit.
Plin. lib. 34.cap.10. Pli.lib.27. cap.4. Pterygij verò nomine, tam oculorum quam digitorum affectum connotat Plinius. Necnon diſrupta infantibus iungit.
Cel. 5. lib. 7. cap. 7. par.4. Sicca præterea, & in tenuiſſimum ceu pollinem redacta, recentibus, non tamen madidis,
Dioſ.lib.3. cap.24. penis ulceribus ſalutare medicamen eſt. Exulceratis etiam genitalibus pe-
Gal. 5. meth. ult. culiariter medetur. Aqua eadem aloë
Dioſ.lib.3. ſubacta pudendi, phlegmones iuvat & vulnera conglutinat. Necnon earun-

rundem partium, quacunque ægrè ad cicatricem ducuntur, ulcera maximè sanat. Sedis, rimas & condylomata ex quadam inflammatione nata, ex passo, scilicet vino, sanat. Fit autem id genus vinum sic. Ex uvis sole, vel in area, siccatis, vel in sarmento adustis, mustum exprimitur: quod deinde dicitur vinum nomine, tum communi passum, tum proprio, & cognomine ereticum, pramnion aut protropon. & hæc de Actione & aloes facultatibus.

cap, 24. Gal. 6. simpl. 26. Gal. ibid. Diosc. ubi sup. & Cels. lib. 6. cap. 18. par. 8. Diosc. lib. 5. cap. 7.

Passio.

ALoës passio vel quidem est à pulveratione, vel ab aqua, vel ab igne, vel à medicaminibus ei commistis. Aut enim ipsa patitur à pistillo, dum pulveratur: aut ab aqua dum abluitur; aut ab igne, dum elixatur; aut à simplicibus quibusdam medicamentis, ob eius, vel imbecillitatis emendationem, vel noxæ correctionem, vel vehementiæ refractionem ei commistis. Passa nanque seu patientia non solùm à lædentibus, sed etiã à iuvantibus, ab

illis noxam, ab hisce verò iuvamen, compati par est. Nam, pati recipere est,
Aver. 2.3. de ani. 57. 28. & 7. phys. 12. *& passio duplex, corruptiva, perfectivaq; . Aloe itaq; primò patitur à pistillo, dum tenuiter, vel crassè pulveratur. Si namq; coquenda sit crassè; sin autem cum aliis medicamentis citra coctionem sit commiscenda, tenuiter est pulveranda, iuxta Gal. illud. Medicamina, tenui particularum compage constantia, consistentia, seu cùm coquenda sunt in crassas, non tenues, sunt partes*
Gal. 7. catag. 2. *contundenda. Pulveranda autem est propter; vel deprehendendum, ac detegendum eius adulterium iuxta Diosc. illud (Aloe eligi debet. friabilis ac iecinoris modo coacta, facileq; liquescens.*
Diosc. lib. 3 cap. 24. *Improbatur enim fractu contumax) vel ut devorari cum aliis commisceri, extimave cuti topicè applicari faciliùs possit. Ob primum quidem ea cum resina devorata, aut cum aqua ac mel-*
Dios. inib. *le cocto, sumpta; alvum solvit. Obque ultimum eadem, aqua, subacta, pu-*
Gal. 6. simpl. 26. *dendi phlegmones iuvat. Secundò patitur à lotione & aqua, quòd quidem*

dem non illota solùm verùm etiam lota, varios adhiberi in medicos usus soleat. Illa enim exhibetur ut magis abstersione purget, quam astrictione corroboret. Hæc contrà, ut magis astrictione roboret quam abstersione purget. Lavatur autem ob duplicem finem; alterum, ut inutiles eius partes ab utilibus segregentur, & abjiciantur; iuxtà Dioscor. illud. Lavatur aloe, ut quod sit harenosissimum, tanquam inutile subsidat, & leve, pinguissimumq; assumatur, alterum ut extimæ; igneæ, tenues, aperientes, abstergentes, ac purgatoriæ eius particulæ ab intimis, terreis, crassis & astrictoriis, partibus optimè separentur iuxta Gal. illud, Aloe, non lota valentiùs vacuat, lota autem purgat quidem minùs, sed roborat ventriculum magis. Item alibi. Nosse opera precium est, aloen quidem illotam ad ventris subductionem aptiorem esse, lotam verò de medicamentaria vi multum deponere. Tertiò patitur eadem aloe tostionem ab igne, ut ocularibus ea sit aptior medicamentis,

Gal. 7. meth. 11.

Diosc. ubi supr.

Gal. 7. meth. 11.

Gal. 8. catatop. 2.

hoc dicente Dioscoride. Oculorum medicamentis aloe torretur. Torrenda autem est in munda, candentiq; testa. Pennaq; subinde, ut æqualiter torrêi possit, est versanda. Decoctionem autem ea patitur, adeo modicam, ut eius quidem non in fine, sed post finem adhibendam esse, præceperit Aetius. Postremò patitur & nonnulla à simplicibus quibusdam, & tenuibus, & calidis, & suavissimè redolentibus medicamentis iuvamina; dum quidem ei talia commiscentur, ut, tum ingenitas eidem & noxas, id est, fœtorem & insignem amaritudinem detrahant, emendentq;, & imbecillam segnemq; purgandi facultatem, validiorem efficiant & coadiuvent; tum præterea, & succos crassos attenuent, viscosos dissecent, inhærentes abstergeant, & obstructos meatus reserent; & urinas evocent, & afflictum à purgatorio pharmaco stomachum astringant, corroborentq;. Tales autem effectus (præter alia plura) potissimum quippe, mastiche & cinnamomum commoliuntur,

Diosc. ubi supr.

Aet. lib. 14. cap. 24.

Quòd

Quòd hisce facultatibus insignita, medicamina fœtidis & amaris, medicamentis sint commiscenda, trinis hisce Gal. sententiis optime patet. Prima. Veratro nigro, daucum, seselim, cuminum, anisum, vel odoratum quidpiam aliud, addendum esse præcipit Hippocrates. Apparet enim, quòd in his miscendis eorum odorem maximè respiciat, quò medicamentariam vim, quæ quidem hominis est naturæ contraria, mitiget ac obtundat. Quemadmodum enim graveolentia omnia stomachum subvertere solent, sic odorata corroborare. Nam, contrariarum causarum contrarios effectus esse, vult Aristot. Nec non contrariam affectionem à contraria occasione nasci, Gal. affirmat. Secunda. Plurimi Medici (neq; in hoc malè facientes) hæc familiaria semina videlicet apij, cumini, dauci, petroselini, anisi, & quæcunque eiusmodi sunt, cõposito medicamini superaddunt; quo; tũ amarorũ medicaminum iniucunditatẽ mitigent; tũ totum pharmacum ad distributionẽ, &

Gal. 8. catatop. 2. Arist. 4. meteor. 40 Gal. 1. simpl. 35.

urinæ propulsionem instigent, tum humorum attenuari si crassitudo, dissecarique si lentor expetant, etiam hoc ipsum faciant. Postrema. Cùm quidem omnia, quæcunque purgant medicamina, ventriculum lædant, & maximè eius ostium, quod & nervis plurimis constat, & ideo acutè sentit, excogitatum est benevolentia purgantibus ipsis medicamentis commiscere, ne sola atque syncera, eorum vis ostium ventriculi attingant. Oportet autem admista semina talia esse, quæ & medicamenti malitiam retundere, & eius opus non impedire, & humores tum crassos tenuare, tum lentos dissecare, & vias, per quas educi debent, aperire, valeant. Quod verò aloe ipsi tam mastiche, quam cinnamomum, ob conscriptos nunc fines sint commiscenda, sic monstratur. Quamvis aloe ventriculum astrictione quadantenus roboret, fœtida tamen & amara, qualitate eundem subvertit. Sunt enim omnia fœtida & amara cùm ventriculo, tum vel maximè eius ostiolo, qui stomachus appellatur,

Gal. 9. cat. top. 17.

Gal. in lib. Quos. p. c. q. m. & q. t.

Gal. 6. simpl. 2. Gal. 2.

tur, omnifariam quidem infensa, displicentia & noxia. Ambabus autem hisce qualitatibus, & mastiche, & cinnamomum efficacissimè refragantur, utiq; fœtorem odoris iucunditate, & amaritudinem saporis suavitate corrigentia: Præterea mastiche & cinnamomum, tum quidem obstructos meatus ingenita caliditate & subtilitate reserant (quod planè calidi sit aperire) tum succos & crassos, caliditate, tenuitateq; coattenuant (nam calidis tenuibusq;, medicaminibus attenuandi facultas inest) lentosq; dissecant (etenim dissectionem inde provenire constat) & humentes consiccant (tenuia enim & calida siccant) & crudos caliditate ambo astrictioneque mastiche concoquunt (non nanq; modicum concoctioni manum porrigit astrictio) Postremò & eorundem humorum malignitatem corrigit cinnamomum. Quòd vera hæc sint: hisce quatuor Pergamenus affirmat noster sententiis. Prima. Cinnamomum, tum summè tenue est, tum tertio ordine calidum, adeoq; siccans;

alim. 22. Gal. 6. simpl. 2. Averr. 4. collig. 2. Gal. 5. simpl. 20. Gal. 7. simpl. 26. 29. Gal. inibi. 57. Gal. 8. catatop. 9.

cans, ut ob summam tenuitatem nullum eorum, quæ pariter calfaciunt, æquè desiccet. Secunda. Cinnamomum iuxtà alterativam, & discussoriam suam facultatem omnibus fœtidis, putredinosis ac serosis humoribus se opponit; non parvam enim omnibus malis affectionibus ex odore suo exhibet utilitatem. Tertia. Cinnamomum; tum omnes putredinosas ac venenosas facultates corrigit, non solùm serosorum, & aliorum humorum, sed etiam lætalium pharmacorum; tum etiam feris, virus eiaculantibus, est contrarium. Consequenter autem post cinnamomum casia, optima videlicet, & cognata ipsi cinnamomo, eandem vim habet. Quia autem cinnamomum desiderari censendum est, ipsum enim consequi nemo potest, nisi repositum ab Imperatoribus intueatur; planè ex usu necesseq; fuerit, aloæ ipsi eius vice optimæ cassiæ duplum commiscere. Postrema verò eiusdem Gal. sententia talis est. Ex his, quæ aloæ commiscentur mastiche & cinnamomum, sunt

Mastì

1. simp. 26

Gal. inibi. 3.

Gal. ibidem 9.

Gal. 1. De Antid. 13.

Mastiche, ut odora stomacho sui quidem astrictione commoda, & medicamentariam aloës vim frangens admiscetur. Cinnamomum verò eadē gratia; & præterea, quòd tenuissimum sit, ut tum ventris meatus aperiat, tum humores, & crassos attenuet, & viscosos incidat. Tales enim humores ad sese ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem attrahere aloë non potest. Quapropter, biliosarum ac tenuium ventris affectionum optimum adeò pharmacum est; ut multos stomachicos sæpè in una die persanet. Iuvat autem & hos, & alios omnes affectus ex vitiatis humoribus ortos cinnamomum admistum; utpote quòd facultatem, vitiosarum ac præternalium, qualitatum, in id, quod bonum ac secundùm naturam est, alterantem habeat. Quare sciendum est affectiones in vitiatis circa ventrem, seu ventriculum & stomachum humoribus evenientes; tum quidem maximè per medicamenta ex aloe iuvari; tum contrà ex astringētium, eduliorum, potuū, &

pharmacorum uſu maximum in detrimentum pervenire. Et hæc de aloës paſſione.

Gal. 8. catatop. c.

Habitus.

QVemadmodum quidem hominum habitus ex pileo, bireto, clamide, ſaga, pallio, interula, calciamentis, calceis, armis, ac id genus aliis, conſtat; ita & ſimplicium medicaminum plantarumq; habitum ex radice, caule, ramis, cortice, foliis, floribus, ſeminibus, fructibus, ac eiuſmodi reliquis conſtare, fas mihi in præſentia ſit aſſerere; variis utiq; & coloribus, & odoribus, & ſaporibus (quæ tertiæ ſpeciei qualitatis ſunt) inſignitis & figuris, hoc eſt, rotunda, triangulari quadrangulari, curva, recta, anguſta, lata, ſurſum tendente, inq; terram deflexa ac reſupina (quæ quarta) effigiatis. Plantarum igitur habitus; earum, deſcriptiores eſſe mihi ſanè videt Palæmoni; nec non rhetoricæ illi figuræ quadantenus utiq; ſimiles eſſe; quæ à Græcis κατάτυπ© & κατατύπωσις, atq; Cicerone imago dicitur; quaque nonnunquam

quam usus est Virgil. hoc ad verbum canens

Omnia Mercurio similis, vocemq;, coloremq;,
Et crines flavos, & membra decora iuventæ. Vergil. 1. Aeneid.

Aloës itaq; talis est Anazarbensi descriptio. Aloë, tum radicē unam habet ceu palum in terrā depactam; tū caulē, antherico, id est, asphodelo non absimilem; tum folia & crassa, pinguia, lata, rotunda, retrorsum panda, scillaq; similia, & utrinq; ex obliquis spinosa, rariuscula, striata, brevia; tum florem album; tum deniq; & fructum, hastulæ regiæ, quam Græci ἀσφόδελον, *latini albucum nominant, cognatum. Eandem hanc aloës catatyposim, sive imaginem seu descriptionem, ex Diosc. penè ad verbum deprompsit Plinius.* Diosc. lib. 3 cap. 24. Plin. lib. 27. cap. 4.

Mirari præterea subit; cur Diosc. ubi suprà caulem antherico nō absimlem, aloën habere affirmaverit; cùm quidem alibi hastulæ regiæ, sive asphodeli, non caulem, sed florem anthericon ipse nominaverit. Ni forsan esset; quod nomina ad rerum cognitionem Gale- Dubitatio Diosc. lib. 2. cap. 187.

Reſponſio. Gal. 1. de differ. p. 1. Gal. 3. meth. 10. Gal. 6. de Anatomia

no teſte nihil omnino referant. Ideoq; de eeis contendere nequaquam oporteat, immo eiſdem ſemper neglectis, ad rerum ſcientiam, primùm, præcipueq; ſit incumbendum. Et hæc in ſumma de aloes habitu.

Ubi.

ALoë plurima, pinguisq; in India Dioſcoridæ gignitur, ex qua coactus ſuccus affertur. Naſcitur etiam in Aſia & Arabia; quibuſdamq; in inſulis & maritimis, ut in Andro, extrahendo tamen ſucco minimè idonea, ſed ad conglutinanda vulnera, ſi detrita illinatur, ſanè quàm utilis. Cùm autem duplex Andros inſula ſit; altera, mediterranei maris & Cycladum; una, Eubœæ inſulæ, quæ vulgo Negroponte appellatur, adiacens (vocantur autem, & mare illud à Venetis Mercatoribus Arcipelago, & eius inſulæ, quæ numero tres ſupra quinquagenas ſunt, cyclades ob id, quòd in orbem ſint ſitæ) altera verò Oceani ſeptentrionalis, Hiberniam & Britanniam interiacens, planè illam non hanc,

Dioſc. lib. 3 cap. 24.

Plin. lib. 4. cap. 12.

intellexisse censendum est Dioscoridem. Non nanq; tam amara, sed austera potiùs & acerba ob validissimum gelu vegetabilia fert septentrio. Item, cùm eadem planta, & in magna syria, & in Cœlosyria, & in Arabia, & in India nascatur; planè syriaca, reliquis aquasior, ideoq; & imbecillior, est (adeò tamen siccat, ut vulnera glutinet) cœlosyriaca autem bona, arabica melior, indica verò omnium optima. Imbecillior autem est ideò, quòd aqueæ commistio qualitates omnes exolvat. Etenim retundit humiditas ipsa; tum caliditatem in anetho viridi, & in hortensi ruta; tũ vel maximè siccitatẽ (cui est cõtraria, perit n. à cõtrario quidq;) in eadẽ ruta, inq; myrtade; tum astrictionẽ, in eadẽ myrthada, in cisti foliis, inq; recenti rosa; tum amaritudinẽ ut in eadem rosa, tum acrimoniã, & mordacitatem, veluti in acribus & mordacibus, medicaminibus ablutis, tum denique & alias, quæ brevitatis causa reticentur. Præterea reponenda conservandaq; est aloe, non quidem in

Plin. inibi. 16.
Gal. 6. simpl. 26.
Gal. 4. simpl. ult.
Gal. 6. simpl. 48.
Gal. 8. simpl. 50.
Gal. 7. sim. penul.
Gal. ibid.
Gal. inibi. 28.

Gal. eiuſd. ult. Gal. 6. meth. 3. Gal. 1. de Antid. 12. Ariſt. 7. polit.

ſubterranea, vel humida cella, quòd quidem in tali recondita, eius humiditatem ſuſcipiant, ideoq; carioſa, putridaq; fiant; verùm in editiore, orientaliq; Soli expoſito loco. Orientalis enim aſpectus Ariſtoteli ſaluberrimus eſt. Et hæc in ſumma de ubi.

Quando.

Dioſc. in proœm.

PLantarum ſucci, liquores & lachrymæ; excipiuntur inciſo per adoleſcentiam, id eſt, earum crementum, aut per ver, caule. Ver enim ideo adoleſcens dici poteſt, quòd & novum dictum à Verg. fuerit, ita canente:

Verque novum ſtabat, cinctum florente corona.


Gal. 1. de patid. 5. & l. de Ther. ad Pamph. in fine. Gal. in l. de Ther. Plin. lib. 27. c. 4.

Vel eo anni tempore, quo plantæ ipſæ maximè vigent; quemadmodum apparet in ſcilla, quæ ſanè cum meſſis tempore præcipuè vigeat, tali quidem eſt tempore colligenda. Quidam tamen aloës caulem Plinio teſte ante eius ſeminis maturitatem, eliciendi ſucci gratia incidunt. Quidam etiam folia, quamvis & alicubi per ſe adhærens

rens inveniatur lacbryma. Evenire autem id per dicta iam tempora, par est in quibus & lacbryma plantarum ex intimis ad extima confluere solent, & (quemadmodum de aëreo melle Gal. affirmat) à diurno solari calore ex medulla ad libramentum elicita, sub inde quidem à frigore secuta noctis in cortice concrescunt, coalescuntq;. Et hæc de aloës substantia, Quantitate, Relatione, Qualitate, Actione, Passione, Habitu, Ubi & Quando conscripta sint. Gal. 3. alim. 39.

A. C. A. N.

FINIS.



LIBEL-

LIBELLUS, DE MEDICAMENTIS LENIENTIBUS, PRÆPARANTIBUS ET PURgantibus.

Medicinæ Studiosis utilissimus ac maximè necessarius.

Olim in Academia Patavina Anno M.DLXXV.

à Doctore Medico

NICOLAO CURTIO propositus.



GIESSÆ CATTORUM,
Imprimebat Caſparus Chemlinus.

M. DC XV.

NOBILISS. ET EXCELlentiſſ. Viro,

JOHANNI JESSENIO A JESSEN,

Equiti Vngaro, Philoſopho & Medico celeberrimo,

Domino & fautori ſuo obſervando.

NOTUM eſt illud, quod dicitur, Vir Nobiliſſime, ianuas Muſarum apertas & invidiâ expertes eſſe debere. Hoc ſi quid aliud, ſanè, tua quoq; Excell. comprobat, quæ non ſolùm Candoris & promptitudinis ſuæ ſat luculenta teſtimonia per inſtitutionem tot Medicorum celebrium, dum adhuc Profeſſione publicâ in Alma Witebergenſi Academia fungeretur, publice promeruit, ſed etiãnum amore boni publici ſuos emittit radios, quòd opuſcula præmiſſa Medicinæ Studioſis promptè per T. E. communi-

municata satis testantur. Ab hac materia cum non admodum aliena videretur doctrina de Medicamentis Lenientibus, præparantibus & purgantibus, libellum hunc celebris quondam Medici, *Nicolai Curtij* nunquam hactenus impressum, sed ex manuscripto *D. Laurentij Scholtzij*, p.m. de re Medicâ viri benè meriti, per virum Clariss. *D. Gregor. Horstium*, Med. Profess. & Illustrissimi nostri Archiatrum, fautorem & compatrem meum honorandum, mihi communicatum, præcedentibus addere, tuoq; nomini dedicare & inscribere volui. T. Excell. hanc meam affectionem boni consulat, & meos conatus sibi commendatos habeat. Bene vale. Giessæ Cattorum Calendis Junii, ANNO M. DC XIV.

T. Excell. Studiosiss.

Casparus Chemlinus Typographus.

Insti-



INSTITUTI ratio.



VONIAM medicamenta LENIENTIA, PRÆPARANTIA & SOLVENTIA t omni ferè morbo ſunt neceſſaria, & Aedicinæ ſtudioſis ut digiti manus gnoſcenda: Ideo ſummatim & ſimiciter, id eſt, ſine ulla diſputatione acrata, de iis, quæ magis in uſu ſunt, rout referuntur in uſum, agendum uxi.

DE LENIENTIBUS.

Ciendum igitur quod in ea Evacuatione, qua LENITIO vocatur, ſcopus eſt evacuare tantum pri as partes, idq; leniter. Prima autem *Prima*

Quid ſit Evacuatio lenitiva?

partes

evacuandi regio. partes *sunt* Ventriculus, Intestina & reliqua usque ad Epar: *Unde & nomen lenitionis ortum est, eò quod per medicamenta levia fieri debet, quorum vis non ultra Epar extendatur.*

In hac igitur Lenitione faciendâ, primùm considerandum, an conveniat nec ne?

Quomodo cognoscendum num conveniat Lenitiva evacuatio.

Ut autem hoc cognoscatur, perpendendum. 1. Num hæ primæ partes spontè satis evacuentur, aut nullo modo evacuentur, aut non satis.

Cùm verò partes primæ sunt evacuandæ, tunc considerandum secundo loco, per quam partem commodè possint evacuari, an illud & per superiora & per inferiora fieri possit.

Non semper opus esse lenientibus.

Si satis evacuentur, lenitione per medicamenta non erit opus. Temerè n. ij. videntur facere, qui semper & sine distinctione medicamenta lenientia in principio morborum adhibent.

Quod si partes hæ aut nullo modo evacuentur, aut non satis, tunc evacu-

ati-

io omninò videtur esse necessaria, quod deest spontaneæ evacuatio-, medicamento evacuetur. Et hoc telligendum, ubi evacuatio spontanea naturalis omninò est, & non ater naturam. Nam si evacuatio sa præter naturam esset, ut sunt ıxus alvi vocati, tunc etiam si fluus ille diminutus esset, tamen ab acuatione abstinendum, ne motus e naturâ irritatâ præceps fiat Gal.1. l Glauc.14.

Quanam evacuatio spontanea cõveniat?

Si materia in ventriculi cavitate detur natare, & ad vomitum provis esse, qui & facilis sit & conetus, tunc vomitu educenda erit, de a evacuatione non est præsentis scoagere.

Quando vomitoria lenitiva conveniant.

Quod si materia non ad superiora ratur, sed ad inferiora, tunc considendum nunquid per clysteria sit evaanda, an per pharmacum. Cum itur materia non est multa, neque agna est necessitas evacuationis, neq; riculum ex morbo imminet, aut æotans nõ admittat pharmacum, aut sangui-

Quando per inferiora vel clysteribus vel pharmacis materia ducenda.

Usus Enematum lenientium.

sanguis statim sit mittendus, ob morbum ingentem, & alvus ante missionem sanguinis sit omninò exoneranda, quod per pharmacum cito fieri non potest, tunc per clysteron evacuatio fit. (Hipp. 4. acutorum 116.)

Similiter si materia in partibus inferioribus sit, & ita indurata & infixa, ut non possit nisi magno cum dolore pharmaco educi, tunc clystere prius emollienda est, & detergenda. Idem in qualibet simili causa servandum.

Usus pharmacorum, scilicet per superiora.

Pharmaco verò primæ partes evacuandæ erunt, ubi opus erit maiori evacuatione, tuncq; considerandum an aliquid sit, quod evacuationem possit impedire, cumq; hæc multa esse possint, (ex Avic. quarta, 1.) hic illud tãtum impedimentum intelligo, quod ratione materiæ fit. Nam si materia in ventriculo, & primis partibus, non coctione, sed evacuatione indigeat, (quæ enim cruda est, & coqui potest, ea coquenda) & viscida sit admodum & evacuationi rebellis, tunc (ex Galeno 7. Meth. 9.) materia illa prius est

Impedimenta respectu materiæ.

attenu-

attenuanda, incidenda & detergenda. Ubi verò materia est apta evacuari & nihil impediat, tunc considerandum quibus lenientibus debeat evacuari, in qua quantitate, quâ forma, quando & quomodo lenientia sint exhibenda.

Medicamenta igitur Lenientia, universaliter ea esse *debent, quorum vires usq; ad Epar, non ad partes ulteriores accedant, & quæ materiæ peccanti, & morbo & ægrotanti, & partibus evacuandis conveniant. Cumq; multa sint quæ vulgò lenientia dicuntur, ex his nonnulla proponã, quæ sunt in frequẽtiori usu, ex quibus quædam simplicia sunt, quædam composita.*

1. Quænam sit natura medicamentorum lenientiũ.

Simplicia sunt, ut:

Lenientia simplicia.

Cassia.
Manna.
Syr. rosatus solut.
Mel ros. solut.
Syr. viol solut.
Mel viol. solut.
Item Aloe.

Quæ omnia cum levem habeant

facultaem trahendi, & stercus ta-tum videantur educere, ideo stercor-ria dicuntur. Præter hæc, quæ sunt in frequenti usu, est & Lac asininum c-ctum, *frequens apud Hipp. &* Seru-lactis, *Pruna, Sebesten, Myrobolan-Thamarindi. Est & Sena, Polypo-um & Epithymum: Verùm hæc tr-quandam maiorem vim habent s-vendi, ex quibus Sena videtur in fr-quentiori esse usu, de quibus & mul-aliis Mesue latius docet, ut etiam Carthamo, &c.*

Lenientia composita. Composita verò vocata lenientia sunt

Electuarium lenit.
Diacatholicon.
Diasebesten s.
Diaprunis s.

Dico autem Diasebesten s. & D-prunis s. *quoniam utrumq; paratur sine scãmoneo & cum scamm. Quã-do sine scammoneo, dicũtur simplic-quando cum scamm. dicuntur com-sita, & sunt solutiva. Sunt &* spec-hieræ, *quæ simplices vocantur ad di-*

r-

reptiam hierarum compositarum, quæ valdè solvunt.

Est & syr. de pomis comp. syr. de Fumaria comp. & syr. de Cichoreo comp. cum Rhabarbaro. *Hi tres syrupi vocãtur compositi, ut distinguantur à simplicibus, qui non solvunt, & ideò inter lenientia communiter reponi possunt.*

Est & Syrupus de Epithymo & Syr. de Polypodio. *Et hæc ferè sunt quæ in frequenti usu habentur, quæ omnia cum satis levem habeant facultatem solvendi, ideò & lenientia communiter vocantur. Verum cùm suam quoq; facultatem habeant & diversam ideo & diversis sunt accommodanda. Nam ut de simplicibus prius dicam,* *Quomodo delectus sit habendus inter medicamenta lenientia.*

Cassia *humidior quidem est, in reliquis temperata, atq; ex Mesue bilem & pituitam evacuat, Verum omnibus humoribus feliciter accommodatur.* *Cassia.*

Manna *temperata est, aut leniter ad caliditatẽ tendit & bilẽ evacuat. Verũ in omni usu omnibus etiã humoribus* *Manna.*

accommodatur, & tum per ſe, tum cum aliis conjuncta feliciorem facit e- vacuationem, & pectus lenit.

Syrupus Roſatus & violatus. Syr. roſ. & viol. ſolutivi *bilem re- ſpiciunt, ſed roſatus paulò ſiccior & a- ſtringens, magis roborat: violatus hu- midior, magis lenit pectus & ſicciori- bus commodior eſt; neuter verò cale- facit.*

Mel roſatum & violatum. Mel utrumq; & roſ. & violatum ſolutivum, *quia magis detergunt, id- eo & craſſioribus humoribus conven- unt. Reliqua eadem ſunt cum ſyr. ro- ſato & violato ſolutivo, niſi quod dif- ferant quatenus ſyrupi ex ſacchari- fiunt, hæc verò ex melle.*

Aloe. Aloe *cal. in 2. ſicca in 3. Bilem & pituitam & quamlibet materiam ſter- corariā evacuat: & hæc in frequen- ſunt uſu.*

Lac aſſininum. Lac verò aſininum *ab Hypp. vid- tur accommodari humoribus & mor- bis calidioribus pro leni evacuation- 4. acut. 7. & 29. Galenus verò pro l- cte videtur uti ſero lactis. Noſtris tem- poribus hæc videntur potius eſſe in u-*

p

ro alteratione, quam pro evacuatio-
e: Lac quidem pro refrigeratione &
umectatione substantiali: Serum ve-
o pro refrigeratione & pro evacuatio-
e humorum etiam adustorum leni.

Pruna, Sebesten bilem videntur
vacuare, scil. valdè leniter. Et Sebe-
ten lotium & pectus lenit.

Myrobalani multarum sunt spe-
ierum, sed per se vix sunt in usu.

Tamarindi, Dactyli sunt quidem
rigidi & sicci & bilem evacuant, sed
ec hi per se sunt in usu.

Sena verò Polypodium & Epi-
hymum calidiora & sicciora sunt,
& ferè aut infusa, aut decocta sunt in
su.

Semina Carthani, quæ calida sunt
& sicca etiam pituitam præcipuè eva-
uant.

Composita verò sunt, ut Electuari-
m lenitivum, quod utramque bilem
vacuat. Diacatholicon omnes hu-
mores.

Diasebesten & Diaprunum præ-
ipuè biliosum humorem.

Pruna, Sebsten.

Myrobalani.

Tamarind, Dactyli.

Sena, Polypodium, Epithymum.

Sem. Carthami.

Electuaria lenientia.

Species hieræ *biliosum, quin & pituitosum, & quemlibet humorem infarctũ in tunicis ventriculi evacuant.*

Syr. compositi purgantes. Syr. de pomis comp. & de fumaria comp. & de Epithymo & de Polypodio, *adustos humores respiciunt.*

Syr. de Cichorea comp. cum Rhabarb. *bilem evacuat, & valenter exobstruit.*

Hic consultò prætermitto controversias, & de eorum qualitatibus primis, & de eorum vario usu, cum hoc non sit præsentis instituti. Plura habentur apud Mesuen Avicennam in suis antidotarijs, apud Nicolaum Alexandrinum & apud Actuarium. Plura quoq; Aetius proponit sub. lib. 3. Plura & recentiores Trincavellus, Cordus & alij Pharmacopolis familiares.

II. *De Quantitate lenientium.* De Quantitate verò maior est controversia & *difficultas. Verum mihi satis est, si communem usum & frequentiorem proponam.*

Cassia *igitur & Electuaria omnia lenientia datur ferè ab ℥i. usq; ad ℥iß.*

Manna *ab ℥ij. usq; ad ℥iiij.* Sy-

rof.sol. & viol.sol. & mel rof. & viol. sol. *ab* ℥iiij. ℥vi.

Syr.comp. de pomis *ferè in eadem quãtitate. Ita ẽt Syr. de Polypodio de Epithymo, Syr. de Fumaria, de Cichorea comp. aut in paulo minori quantitate.*

Senæ folia, *quæ sunt magis in usu quam folliculi, pulverisata dantur à* ʒß *usq; ad* ʒiß. *In fusa verò vel decocta à* ℥iij. *usq; ad* ℥vi. *Similiter ferè & Polypodium & Epithymum & sem. Carthami in fusa vel decocta in eadem Quantitate exhibentur.*

Aloë *à* ʒi. *usq; ad* ʒij. species hier. f. *à* ʒiß. *ad* ʒij. Serum lactis *à* ℔ *iij. ad vj. usq; ad viij.*

Verum in quantitate medicamenti rectè cõstituendâ observandum est. 1. Quidem quæ sit communis quantitas in usu, q̃ debet esse tanq̃ regula cu iusq; quantitatis, eaq; diligẽtissimè observãda in quolibet medicamẽto. 2. Ut ubi maior est copia materiæ evacuãdæ, maior ẽt quantitas medicamẽti detur, nisi materia multa, sit cruda, & vires debiles, tũc ab omni motu quiescendũ. *Quænam sint notãda in quãtitate medicamẽti.*

Chal. 4. de tuenda valetudine 12. Meth 3.)

Ita ubi natura sumentis astrictior est, (in qua natura magna est latitudo cum alii ex una vel altera ℥. Cassiæ cōmodè evacuentur, alÿ verò vix ex ℥iij. Cassiæ evacuari possint) & in corporibus compactis ac robustis, in ætate perfecta, maior quantitas convenit: ut & in temporibus mitioribus & morbis etiam mitibus ae in materia crassiori tenaciore & minus mobili evacuanda; in oppositis verò opposita ratio est tenenda, in mediis media.

Præter quantitatem forma etiam medicamenti, *qua debet exhiberi, est cognoscenda. Ea verò multiplex datur, sed quæ in frequentiori usu habetur triplex est: quædam solidior, ut sunt pillulæ; quædam minus solida ut sunt boli: quædam liquidior, & hæc quandoq; diluta, quandoq; non diluta.*

III. Forma medicamentorū.

Ratio formæ sumetur, & à propria vi formæ *ipsius medicamenti: Medicamentum enim quo purius est & solidius eò majorem habet vim, & magis dura-*

Vnde sumatur formæ ratio in medicamentis.

durabilem, quo verò mollius & liquidius est, eò leviorem habet vim, quæque minus extenditur & celerius trãsit; & à materiæ evacuandæ natura, 2.
modo substantiæ, qualitate, quiete, fixione. Materia enim pituitosa & Melancholica solidiora postulat, similiter tenax & crassa. Biliosa verò & tenuis, liquidiora. Ita ficcior materia humidiora, humidior verò ficciora: Crassa & ficca validiora requirit. Locus etiam materiæ *suam formam requirit.* 3.

Materia enim propinquior, aut solidiora scilicet leniora, non tamen omninò solida postulat, ut medicamentum in loco propinquo detineatur, ubi est materia peccans, & non ulterius extendatur; aut liquidiora, sed non omninò liquida, ut celeriter transeat evacuando & per corpus non extendatur.

Ex adverso quo materia est remotior, eò solidiora postulat. Materia etiam quieta & multò magis, quæ est impacta, similiter solidiora postulat medicamenta: Quæ verò movetur,

liquida, & magis, quò magis movetur.

Sumitur etiam forma à morbi natura. *In morbis enim calidis & siccis, & in febribus præsertim ardentibus, liquidiora & minus calida convenient. In frigidioribus verò morbis & humidioribus solidiora & calidiora.*

Vsus lactis asinini secundum Galenum & Hippocratem.

Ideò Hipp. lib. de medicamentis purgantibus, prohibet medicamenta valida in febribus ardentibus; & 4. acut. 7. in febre ardente purgat lacte asinino cocto, Vbi maximè laudat Serum lactis. Et eodem libro textu 29. eodem lacte asinino purgat, & præbet 16. heminas, ex supputatione nostrorũ temporum sunt 16. libræ. Et hoc medicamentum, inquit Galenus, frequens fuisse apud antiquos. Galenus tamẽ ut dixi, magis laudat serum lactis, quoniam maiorem habet vim subducendi, ut probat 3. de alim. facultatibus cap. de lacte, & 4. de simplicibus medicamentis facult. 17. Et eſt frigidũ & humidum, non sine aliqua acredine per quam stimulat, cuius causa fortassis Mesue existimavit esse calidum & siccum

cum in primo gradu. Sed hæc illi contingit ex partium diversitate. Verum secundum totam substantiam frigidũ & humidum est, quod ex longa experientia facilè comprobatur.

Sumitur etiam forma à natura ægrotantis. *Alij enim aliam admittunt, aliam recusant, nec solum à voluntate ægrotantis; sed etiam ab habitu & temperatura. Sicciores enim liquidiora postulant, ita & graciles; ex adverso carnosi & humidi solidiora.*

Sumitur etiam forma à natura temporum, statuũ atq; Regionum. *Nam ubi hæc calidiora & sicciora fuerint medicamenta, liquidiora & leviora convenient, in contrariis verò contraria, in mediis media.*

Tempus etiam exhibendi medicamentum est cõsiderandum. *Tempus verò multis modis accipi potest. Nam & pro tempore morbi capitur, & universali & particulari, aut pro hora diei quâ sumendũ est medicamentum.*

Quando sint exhibenda medicamenta lenientia.

Si de tempore universali morbi loquamur, optimũ est tempus principij,

In quo tempore universali dandum lenitivum.

2 Aph.29. nisi quid impediat, ut superius dictum est. Imò si morbus urget vel prima die poterit exhiberi, etiam si eadem die sanguis missus fuerit, si tamen vires ferant, & tantum spacij inter missionem sanguinis & medicamentum intercedat, ut sanguis possit quiescere. Verum & in quocunque tempore morbi universali lenientia possunt concedi, ut tamen dies criticus caveatur, & dies etiam crisi proximus, ut vult Galenus.

In quo tempore particulari exhibendum leniens.

Si verò de tempore particulari loquamur, tempus optimum erit dies melior & quietior: quod si morbus quotidie affligat, eligenda est hora in quâ afflictio ipsa satis sit remissa, aut tanto tempore detur ante afflictionem, ut post evacuationem absolutam ipsius medicamenti succedat afflictio.

Qua diei hora danda lenientia,

Si verò de hora diei sermo sit, tunc lenientia illa, quæ ferè cibaria sunt, quæque in nutrimentum facilè converti possunt, per dimidium horæ, vel horam unam ante cibum præbenda sunt. Gal. de alim. cap. de prunis. Ea verò

quæ non facilè verti possunt in alimentum, per 4. vel 5. horas ante cibum danda sunt, ut eorum operatio ferè sit perfecta. Nihil tamen prohibet quin & ante cibum illa poßint dari per horam unam, cum levia sint neq; turbent. Quin & gravia medicamenta, si necessitas cogat, per horam unam etiam ante cibum possunt dari, quin & cum ipso cibo, ita tamen composita ut non sint valdè insuavia. Hipp. in lib. de medicamentis purgant. Gal. 13. Meth. 15. & 14. Meth. 17.

Cassia itaq; per dimidium horæ, vel horam unam poterit dari ante cibum. Electuaria verò, & species hieræ, & similia per 4. vel 5. horas ante cibum. Ita & quæ in potu sumuntur: Verum ut dictum est si res ita postulat, etiam per horam ante cibum poterunt dari. Hora verò matutina commodior est, sive ante prandium. Quod si aut afflictio, aut aliquid aliud impediat, tunc etiam & vespertina hora, & ante cœnam poterit eligi. Neq; tamen eos reprehēdendos puto, qui pro capitis eva-

cuatione, pillulas sumũt statim post cœnã, quæ levior sit. De qua re latius à me fuit alias disputatũ. Non autẽ probo, q̃ post horam unã vel duas à cœna dentur medicamenta illa, quia tunc temporis concoctio impeditur. Solidiora igitur medicamenta & validiora per 5. vel 6. horas ante cibum erunt danda, cùm universum corpus expurgandum erit. Ubi verè aliqua particula expurganda, si propinquior fuerit, parum ante cibum medicamenta poterunt exhiberi, si remotior multum ante cibum, si verò caput, tunc & post cibum, statim poterunt exhiberi, præsertim à cœna.

V. De modo compositionis medicamentorum lenientium.

Ratio etiã sive modus cõponendi medicamenta cognoscendus est. *Sumitur verò hæc ratio ab iisdẽ ferè scopis: Verũ ea ratio varia est. Nam medicamentũ ita debet cõponi, ut non lædat, ut nõ turbet, ut per convenientẽ regionẽ evacuet sine molestia, & eius vis ad locũ materiæ perveniat, ut tantum agat, quantum morbus postulat, & quam minime ingratum sit.*

Maximè a. videtur necessaria recta corre-

correctio ipsius medicamenti, quæ & ipsa varia est, quoniã medicamentum vario modo potest lædere, siquidẽ medicamina quandoq; lædunt qualitatib. primis, cũ sunt aut calidiora, aut ficciora &c. & tunc contrariis qualitatibus sunt corrigẽda. Quandoq; lædũt ratione secundarũ qualitatũ, aut mordẽdo, aut erodẽdo, quæ læsio lenientib. & emplasticis corrigẽda est. Quandoq; v. lædunt tertiis qualitatibus & quartis, ut cum certã quandã partẽ afficiunt, aut secundũ totã substantiã, quæ tota natura est inimica nostræ naturæ, quæ læsio tollitur per ea, quæ tota natura vicissim sunt amica naturæ nostræ, ut sunt odorata, quæ præterq̃ ꝙ amica sint naturæ nostræ, & eã conservent, atq; pcipue os ventriculi ꝙ ab iis medicamentis præcipuè læditur etiã materiã parant, & vias aperiunt, ut evacuatio felicior sit. Correctio medicamentorum

Cumq; medicamẽta verè solventia, hac pcipuè pharmacositate, & veluti venenositate quadã sint pdita, ideò hujusmodi correctione maximè indigent. De qua etiã correctione, præcipuè mẽtionẽ facit Hipp. 2. Acut. 11. Gal. in lib.

quos, quando, purgare oporteat. Avic. autem quarta. i. & Mesue, ubi de medicamentis agit.

Medicamenta verò lenientia tali correctione levi egent, quoniam etiam tali pharmacositate, leviter prædita sunt, lædunt tamen & ipsa, alia aliis rationibus, quæ suam correctionem postulant. Solventia verò præter dictas correctiones, videntur & aliam quandam correctionem propriam postulare, quam arbitror apprimè utilem esse, quæ eò magis est observanda, quod minus ab aliis fuerit declarata. Nam cum multa ex his solventibus furiosè agant, ex quo furore sæpè ægrotantes in mortem præcipitantur, necessaria est mistio eorum, quæ mitigent furorem, simulq; & evacuationem adiuvent. Quæ miscendi ratio, à Mesue fuit cognita cùm Mãnam ipsam, cum aliis coniungit pro felici evacuatione, eo quod Manna, inquit ipse consoletur evacuationẽ. Quod videtur & Hipp. attigisse 4. Acutorum 29. Vbi date medicamento valido, post aliquot dies,

Nota quomodo catarctica per lenientia addita sint corrigenda.

las

lac asininum coctum copiosum præbet ad correctionem furoris medicamenti validi. Quod si hac lenia medicamenta, præstò fuissent Hipp. certè cum validis ea miscuisset.

In qua tamen mistione cavendũ, ne medicamenta ita misceantur, ut in operatione sibi invicem adversentur, ut alia tardè, alia citò agant: Quod Gal. observavit in lib. quos & quando, & in j. comm. in lib. de humoribus. Quod quidẽ cavebitur si ea misceantur, quæ apta sunt misceri, quæq; se invicẽ corrigant, & ita ex arte misceãtur, ut optimè fermententur, & ad naturæ imitationem ad unam formã redigantur.

Lenientia verò medicamenta, ut dictum est suas etiam habent læsiones. Quomodo corrigantur lenientia.

Cassia enim flatus excitat & ventriculum laxat, ideò corrigẽda per ea, quæ flatus discutiunt & ventriculum roborant, ut Mastiche, aniso, cinamomo: corrigitur etiam coriandro, ubi timentur calidiora, quandoq; Hyssopo, ut pectus magis respiciat, ut & per alia, quæ alias partes respiciunt. Correctio Cassiæ.

Manna

Correctio Manna. *Manna verò nullam videtur postulare correctionem propriam. Quod si aliquando corrigatur, hoc fiet, aut ratione materiæ, aut morbi, aut ægrotantis, aut partis læsæ ut si humiditas læderet aut dulceda.*

Medicamenta verò composita, ut Electuaria, ut syr. compositi ab ipsismet autoribus videntur fuisse correcta.

Correctio Aloes. *Aloë, quia videtur aperire ora venarum hæmorrhoidum & Epatis, indiget correctivo. Mesue proponit Mastichen, Dragagandum & Bdellium: ratione verò suæ caliditatis & siccitatis aut omninò corrigenda erit, aut certe in corporibus & morbis atq; temporibus calidis & siccis omninò cavenda erit, & ubi materia non adest evacuanda, qua ratione ex Gal. sententia ad becticam deducit.*

Correctio Senæ Epithymi & Polypodii. *Sena verò Epithymum & Polypodium, quia calida & sicca sunt, & vẽtriculum turbant, & dolores excitant, & suam quandam habent pharmacositatẽ, sua indigent correctione, ut vel infundantur, vel decoquãtur (qua ra-*

tio ad mitiganda medicamenta maximè facit) & cum passulis, cum liquiritia vel cum cinamomo miscentur similis ratio de seminibus carthami.

Quantitas verò corrigentium *varia esse debet, pro variatione correctionis. Nam quanto sunt magis medicamenta venenosa tanto majorem postulant quantitatē corrigentiū, quandoq; æqualem quantitatē, quādoq; minorē, quandoq; etiā maiorem. Ita pro varia corrigentis natura quandoq; corrigens tantū corrigit, & tunc in minori quantitate miscendum erit, quandoq; verò & corrigit & adiuvat evacuationem, tumq; in maiori quantitate erit miscendum, si reliqua sunt paria.*

De quantitate corrigentium.

Sumitur etiam quantitas corrigentium à quantitate naturæ evacuandæ, à morbo, à natura ægrotātis & partis. Alii enim ab eodē medicamēto magis, alij minus læduntur, sumitur & ab ipsis tēporibus. Calidiora n. tempora postulāt refrigerātia in maiori quātitate & ita de similibus verū hæc exquisita ratio & miscēdi & corrigēdi medicamēta

ab ipsa arte & ab ipso usu præcipua desumenda est.

Modus cõponendorũ Medicamẽtorum.

Sed jam tempus postulat ut clarioris doctrinæ gratia exempla compositionis propo nantur, nam reliquæ conditiones satis sunt manifestæ, siquidem medicamentum per convenientẽ regionem evacuabit, si tale eligatur, quod vim habeat per eam convenientem regionem evacuandi, ad quam materia vergit, & via & materia sit præparata: evacuabit enim sine molestia, ubi & materia erit optimè præparata, ac via & ægrotans & medicamẽtum valdè sit proportionatum. Hipp. lib. de humoribus. Gal. p. suo comm. in eum librum.

Perveniet autem ad locũ materia, si medicamentum eligatur quod materiam illam tantum respiciat, & non aliam, si locum etiam illum respiciat, aut misceatur cum aliquo ad eum locum deducente, & ita etiam sine molestia agit, & dabitur in ea quantitate, quæ sufficiat, & sit omninò proportionatum & materiæ & morbo & ægrotanti,

tanti, tunc ad locum materiæ facultas perveniet & aget quantum debet agere. Hipp 1. Aph. 2. 25. & 4. Aph. 3. lib. de purg. Non erit ingratum si ita componatur, ut ægrotanti maximè conveniat & non displiceat.

Summa verò compositionis & perfecta ratio in proportione existit, si optima servetur proportio in omnibus scilicet in iis, quæ componuntur inter se, & in ipsamet compositione & mistione, & cum materia evacuanda & loco materiæ & morbo & ægrotante & annexis.

EXEMPLA.

Exemplum primum sit lenientis in forma boli ex Cassia, ut: *Bolus leniens.*

℞ floris Cassiæ noviter extractæ ℥x. Anisorum ℨß.

Misce cum sacch. fiant boli & dentur per horam ante cibum. Capitur hic flos cassiæ non illius Cassiæ quæ aromatica est & similis cinnamomo, sed illius quæ vocatur fistularis, quæq; vim habet leniendi, quæq; notissima est, cujus pars pinguior flos vocatur, in quo *Distinctio inter Cassiam fistularem & cassiam ligneam.*

præci-

præcipuè vis leniendi & lubricandi existit. Additur autem noviter extracta, quoniã si fuerit percolata & diutius detineatur, vim suam amittit. Capiuntur ℥x. cum tamen pro variis cõditionibus superius positis possint capi pauciores & plures, ut à VI. vel, VIII. ℥. ad XII. si enim nihil impugnet, in corporibus satis robustis ad ℥XII. capitur. Quandoq; verò possunt capi iij. tãtum, vel iiij. drachmæ, ubi nõ quæritur integra lenitio, sed quædã tantũ excrementorũ, quæ quotidiè generantur, evacuatio, & ubi ægrotans nec per se evacuatur, neq; clysteres, neq; glandes admittit, sed cassiam præcipuè facilim capit, & hæc quantitas tertiò vel quartò quæq; die posset concedi cum dictis conditionibus, si necessitas postulat.

Alius modus, quo datur cassia in fistula. Solet etiã hæc cassia ordinari quandoq; non in bolo: sed in fistula ut ægrotans vel minister cultello eã extrahat quæ ratio multis & præsertim puerulis solet esse grata, tuncq; ordinatur ho modo.

℞ Cassiæ in fistula ab ℥iij. ad ℥iiij.

Et capitur per dimidium horæ ante cibum. Quantitas enim hæc vix adæquabit ℥x. vel xii. floris Cassiæ. Puerulis tamē delicatioribus satis est, si detur ad ℥iß. ad ℥ij. in fistula, & quia multū temporis consumitur dum extrahitur & paulatim deglutitur, ideo post cassiam deglutitam per dimidium horæ, aut etiam per quartam partem horæ cibus capi poterit.

Ordinatur etiam Cassia condita ab ℥j. usq; ad ℥iß. & est satis iucunda, & delicatioribus accommodata. *Cassia condita.*

Addidi in exemplo Anisum pro correctione, quia flatus discutit, ventriculum roborat attenuat & præparat materiam ac iucunditate sua amicum est. Capitur ℨß. quia hæc quantitas ex cōmuni usu sufficiens reperitur ad correctionem, & proportionē habet maximè legitimam cum x. ℥. si tamē capientur aut plures aut pauciores ℥. ipsius cassiæ, eadem quantitas anisorum potest servari, quia legitimam etiam habebunt proportionem: si majori opus est correctione ad ℨj. capientur, si minori ad ℨi. *Corrigens Cassia.*

Quod

Quod ſi ventriculus robuſtus ſit, aut nihil capiatur, aut parũ præſertim ſi caliditas aniſorum timeatur. Verum commodè tunc aut maſtiche, aut Coriandrum poterit capi pro amißis eodem modo. Quod ſi magis odorata placeant, ſumetur aut cinnamomũ, aut Caryophyllus, aut nux Muſcata à ℈j. ad ʒß. vel etiam plus, ſi dictæ conditiones poſtulant.

Modus, quo boli exhibentur.

Fiunt autem Boli cum ſacch. jucunditatis gratia, quod ſi quis non libenter admittat dulcia, poterit omitti, & eligatur ea ratio, quæ ægrotanti ſit commoda, ut involvatur in placẽtulis, quæ hoſtiæ vocantur, & irrovetur vel aq. roſ. vel ſimili re jucunda. Poterunt & boli deaurari pro divitibus, ut gratiores videantur. Datur per horam ante cibum, & per dimidium horæ poterit dari, dum modo ventriculus conquieſcat & ad cibum capiendum ſit aptus.

Quid faciendum poſt aſſumptam Caſ-

Poſt aſſumptam Caßiam danda ſunt quæ os ſtomachi & palatum etiã conſolentur, ut vel ſemina abſynthii

illa

illa minutula sacch. condita, vel cinnamomum illud minutum saccharo conditum, vel aliquid simile ægrotanti iucundum, ut ventriculus sedetur & nō evomat. Poterit etiam os abti vino aliquo odorato, si nihil impediat, neq; dolor capitis, neq; inflammatio interna, neq; febris. Et hæc ratio exempli varia in frequenti est usu. *siam, vel simile medicamentum.*

Quandoq; verò aliqua miscentur pro maiori ventriculi corroboratione, ut sp. Diarrhodon Abbatis, aut si calidioribus sit opus, sp. Aromatici rosati, eodem modo ut de Anisis dictum est. *Corroborantia.*

Quandoq; miscetur quod deducat, ut Hyssopus ratione pectoris, item liquiritia ratione pectoris & renum, & ita de aliis partibus. Hæc autem quæ deducant, eligenda sunt, ut nec ventriculo, nec aliis partibus noceant, & in ea quantitate, quæ tamen possit deducere, quæq; addita corrigentibus non faciat medicamentum ingratum: Ut si anisorum capiatur ad ℈j. Hyssopi ad ℈ß vel utriusq; ℈ß usq; ad ℈j. *Deducentia.*

Quandoq; verò cùm cassia miscen-

tur non solùm quæ corrigunt, verum etiam quæ evacuant, ut Electuaria proposita, quo in loco quantum additur de Electuario, tantum demendum est de ipsa cassia. Hoc autem fit ubi diversi humores in ventriculo sunt evacuandi, ut:

Evacuantia.

℞ Cassiæ noviter extract. Electuarij lenitivi ana ℥v. vel vi. Misce &c. ut sæpius dictum est. Eadem est ratio de reliquis Electuariis.

Quandoq; verò miscentur cum cassia, quæ simul & corrigunt & evacuant, quod species hieræ simpl. commodè præstant, in quibus multa sunt aromata, quæ ipsius aloës operationem adiuvant, quarum descriptio non proponitur, quemadmodum neque Electuariorum, cum ubique habeantur, & natura ipsorum, quæ miscentur, ubique explicata reperiatur.

Corrigentia.

Usus autem specierum Hieræ erit ad extrahendos humores infarctes in tunicis ventriculi, & ad roborandum ventriculum ipsum, & ad resistendum putredini, & ad corrigendam Cassiam

Usus specierum Hieræ.

ipsam

ipsam: Et quò magis hæc erunt necessaria, eò maior copia capietur, si caliditas non timeatur, ut:

℞ Fl. Cassiæ noviter extr. ℥x. specierum Hieræ, ſ. ℈ß. cum sacch. f. bolus.

Possunt etiam capi ʒjß. specierum hieræ simplicis, si magis necessaria sit hiera, poterit eius dosis augeri, cassiâ diminutâ. Si volumus minorem evacuationem, sed diuturnam moram specierum hieræ in ventriculo, tunc

℞ Fl. Cassia ℥ß.
Sp. hieræ. ʒjß.

Quæ ratio ad ventriculum maximè laxatum & infarctum humoribus confert. Si minor adhuc quæritur evacuatio & diuturnior mora capientur species solum ipsius hieræ, ut:

℞ Sp. hieræ ſ. ʒij. cùm melle ros. f. bolus, & dentur per 5. vel 6. horas ante cibum. Ita verò magis operantur diu detenta in ventriculo ante cibum.

Probarentur etiam quandò in multa copia miſcentur cum caſſia, ut per 5. horas ante cibum darentur, quia non ita convertetur caſſia in alimentum, ubi ita fuerunt miſta, & operatio erit maior.

Nec mirum ſit quod antiquioribus doſis ſpecierum hieræ minor eſſet quàm noſtris temporibus ex uſu frequenti reperitur doſis propoſita commoda, ut etiam leviter evacuet: neq; etiam mirum ſit, ſi antiquis erat in uſu in potu, noſtris verò temporibus nullo modo videtur poſſe ferri ob eximium amarorem, ideo ſemper aut in forma boli aut pilularum datur.

Et hæc explicatio primi exempli paulo prolixior fuit, ut pro multis exẽplis ſatis faciat, neq; in aliis longiore ſermone ſit opus. Nam eadem Caſſia pro potu rariſſimè eſt in uſu, nihil tamẽ prohibet, quin ſi ægrotans voluerit, poſſit etiam dilui, aut cum iure, aut cum decocto, ut paulo poſt dicetur.

Simili modo & ſpecies hieræ quandoq; poterunt dilui ea ratione quâ dicetur

cetur inferius, si ægrotans aliam rationem non admiserit. Fit etiam ex speciebus hieræ Electuarium de Hiera, quod pro clystere potius est in usu quam pro lenitione per os facta.

Illud non est prætermittendum quod aliquando cassia miscetur cum iis, quæ & evacuationem adiuvant & corrigunt ipsam, materiæ malignitati, ebullitioni & putredini resistunt, & morbo etiam adversantur, ut quando miscetur cum Tamarindis in febribus valdè biliosis, aut in synodiis, Tamarindi enim omnia quæ dicta sunt suâ naturâ & qualitatibus præstāt. Miscetur autem cum Tamarindis ea proportione, ut Tamarindi sint multò minori quantitate, quoniam sua aciditate aliquo modo ventriculum lædunt. Quare cum ℥x. cassiæ ponentur ℥ij. Tamarindorum ad ℥. ijß ut proportio servetur vel cum ℥ix. cassiæ, iij. Tamarindorum, ad summum cum ℥viii. Cassiæ, ℥iiij. Tamarindorum. Si longiori opus est lenitione, cum ℥xii. cassiæ ponentur ℥iij Tamarindorum. Itaq; varia

Evacuantia & corrigentia.

fiet miſtio pro variis ſcopis, ſervatâ ſemper proportione.

Quandoque verò miſcetur etiam caſſia cum ijs, quæ & ipſam corrigunt & ventriculum roborant & vermes interficiunt, ut ſi:

Corrigantia & roborantia.

℞ Aloë, ſcordij, ſem. citr. ſem. Abſynth. An. gr. V. Et cum iuſta quantitate caſſia miſceatur. Et quia puerulis ſæpè hæc ſunt neceſſaria, qui caßiam in bolo on admittunt, ſed potius in fiſtula, ideo ex iſtis pulveribus parabuntur 3. vel 4. vel 5. pillulæ parvæ & tradentur cum re aliqua grata puerulo, ut cum panatella, vel cum ſyr. de ſucco acetoſæ, vel cum ſyr. acetoſo S. Poſtea dabitur Caßia in fiſtula ad ℥i. vel ad ℥jß. præſertim ſi fuerint infantes à duobus annis uſque ad 5. vel circa hanc ætatem.

Si febris adeſſet inſignis, poterunt capi ſem. acetoſæ & cornu cervi uſtũ, & dein Aloë & ſcordium. Verum & hæc & illa poſſunt addi, quia exigua quantitas magis proderit interficiendo vermas quam calefaciendo nocebit.

Species

Species tamen hieræ ſ. ad vermes etiam maximè conferent.

Electuaria verò propoſita omnia in eadem quantitate & eodem modo poterunt parari, ſicut & de caßia dictum fuit, ſed correctivo non indigent, quoniam in compoſitione ponuntur ſua correctiva. Quandoq; tamen corrigentia addi poſſunt non ratione Electuarij, ſed ratione affectionis alicuius, quæ inſit ventriculo præter naturam, aut ratione alicuius materiæ, aut ratione deductionis ad locum læſum. Vbi tamen notandum eſt, quod ea, quæ deducunt nullo modo conveniunt in principio, corpore exiſtente repleto, ſed in progreſſu poſt aliquam evacuationem. Electuaria

Conveniunt etiam & Electuaria pauperibus, & quia diverſos humores ſolent congerere pauperes, & quia non poſſunt preciosa medicamenta emere, & hæc de forma in bolo. Laxantia pro pauperibus.

In forma verò potabili erit, ut: Potio leniens.

℞ *Mannæ Electæ ℥iij. Iuris macri. q. ſ.*

Misce fiat potio per 4. vel 5. horas ante cibum.

Præparatio iuris pro usu mannæ.

Capitur Manna non illa, quæ dicitur Manna thuris, sed Manna lenitiva illa notiss. quæ leviss. evacuat, datâ ad ℥ij. In alvo autem valdè astrictâ ad ℥iiij. & usq; ad V. Diluitur cum iure macro, quoniam pingue subvertit stomachum. Et erit ius aut pulli aut hœdi, aut vituli, verum & ex castrato, & ex bubula etiam carne, si necessitas cogit poterit capi. Ius autem illud poterit esse & simplex & alteratum cũ aliqua re, quæ dulcedinem mannæ si est ingrata porrigat, aut etiam ventriculum roboret & putredini resistat, ut si cum modico coriandrorum bulliat, aut acetosæ, aut Endiviæ, aut similis rei pro scopis superius positis.

Dilutum cum aquis destillatis.

Dilutum cum decocto flor. & fruct.

Poterit etiam dilui ex aqua Endiviæ vel acetosæ vel simili accommodata, vel ex decocto ante parato, ut illud est quod vocatur decoctum florem, & fructum cordialium, quod solent parare ex floribus violarum, borraginis, Buglossæ, ex Iuiubis, sebesten & passu-

lis,

lis, quæ omnia vim habent & leniendi & temperandi & roborandi. In quo decocto poterunt poni, quæ respiciant materiam, morbum & partes. Vt ventriculum, ut pectus, unde etiam fit decoctum ex reb. quæ vocantur pectorales, quæ solent esse iniubæ, sebesten, passulæ, liquiritia, capillus Veneris. Eadem ratio de reliquis partibus.

Decoctum evachativum pro diluendis lenientibus,

Decoctum etiam potest parari Evacuativum, ut si aut ex fol. senæ, vel Epithymi, vel ex Polypodio, vel ex seminibus Carthami fractis capiatur à ℥ij. ad ℥iiij. si unum tantum capiatur: si duo, tunc utriusq; capiatur ad dimidium totius quantitatis, quæ videtur commoda.

Capientur autem illa, quæ dictis scopis videntur commoda, & per noctem infundentur cum dictis rebus in aqua calidiore, aut leviter decoquentur, & ex eo decocto colato diluetur medicamentum. Ex quo decocto capitur q. s. pro diluenda Manna, & dabitur ita diluta Manna per 4. vel 5. horas ante cibum. Verum in temporis

angustia poterit etiam dari per horam unam ante cibum, qui cibus levior sit.

Leniens pro pauperibus de Sena.

Idem decoctum si paretur cum ℥iiij fol. senæ usq; ad ℥vi. cum reliquis reb. vel cum aqua, vel cum iure, aut etiam cum sero lactis præsertim caprini, reddetur leniens commodum pauperibus.

Quod dixi de sena idem de reliquis dicatur. Natura solutiva valdè diluta redduntur mitiora & lenientia, ut quo magis decoctum hoc erit dilutum cum multa quantitate liquoris, eò lentius erit, & cum sero lactis caprini vim etiam acquirit leniendi & suavem.

Ut autem Manna varia ratione potest dilui, simili modo & mel rosatum solutivum & syr. ros. solutivus, & mel violatum solutivum, & syr. violatus solut. Servata cuiusque sua & quantitate & proportione cum humore solvendo & reliquis com-

conditionibus. Semper enim pro humore peccante & reliquis conditionibus medicamentum proprium erit eligendum.

Poterunt etiam hæc misceri, ut Manna cum melle rос. sol. an. ℥ij. vel ℥ijß. vel ℥iij si opus erit. Quæ mistio potest fieri ex utroq; æqualiter sumpto, vel ex altero in maiori quantitate & altero in minori, pro variis scopis, ut ex Melle ros. sol. ℥iij. ex Manna ℥ij. vel ex adverso &c.

Possunt etiam simul misceri, ut: Manna, mel ros. & syr. de pomis comp. an. ℥jß. vel ℥ij. simili methodo & Electuaria possunt parari in potu ad ℥jß. & ultra si opus erit. Nam ut dictum est diluta redduntur imbecilliora. *Poterunt etiam misceri Electuaria, ut Electuar. Lenit. ad ℥j. Mannæ ad ℥jß. aut ℥ij. vel mellis ros. sol. vel syr. ros. sol. vel alicuius alterius ℥ij usq; ad ℥iij. Quod dictum est de Electuario lenitivo, idem de reliquis*

dicendum, ut methodus superius proposita & eligendi medicamenta, & eorum quantitatem & componendi semper servetur.

IN FORMA VERO solidiori.

Forma solidior in pillulis. ℞ *Aloes non lotæ* ℈v. *Mastices* ℈ß. *Cum aq. Endiviæ f. pillulæ 5. per horas 4. ante cibum.*

Aloë *eligatur optima, ut quæ succocitrina vocatur à Mesue*, non lota, *quia si lavetur, minus purgat & magis roborat. Conveniet autem non in febrisq; neq; in morbis calidis, sed præcipuè pro stercore educendo, & quibusdam in usu est ad* ℈i. *& mediocriter educit excrementa, quæ quotidie generantur, quæ ratio non probatur, quoniam frequenter sumpta nimis exsiccat, lædit Epar & facit hecticam.*

Variæ Aloës præparatio. *Solet autem Aloë multis modis parari, ut ad varios usus accommodetur. Maceratur enim cum succo Cichoreæ, agrimiæ & aliis pro vario scopo, ita cum succo Rosarum, ut temperatior red-*

reddatur, & vario usui accommodata. Pillulæ autem quandoque detinentur paratæ in Massa apud pharmacopolã, quandoq; formantur cum aliqua aq. stillaticia, ut Endiviæ & simili, vel cum aliquo Syrupo q. s. ut redigantur in formam pillularum.

Numerus pillularum varius fit, pro arbitrio ægrotantis & dantur per 4. vel 5. horas ante cibum, vel ut superius dictum est de pillulis.

Hæ sunt formæ in frequenti usu, ex quarum methodo aliæ quam plurimæ possunt excogitari. Inter has formas in frequenti usu sunt Passulæ, quæ vocantur præparatæ, quæ vario modo solent præparari. Commodè autem parantur hoc modo. Passulæ laxativæ.

℞ Passularum pinguium ℔ j. detinentur per noctem unam & alteram cum sacch. rub. ℔ ß. usq; ad ℔ j. vel cũ sacch. albo crassiore, aut etiam capiatur ex infusione rosarum solutiva ad ℔ j. in quâ decoquantur folia senæ ad ℥ iij Zingiberis, Liquiritiæ, an. ℥ j ß. Coletur, in dictaq; infusione passulæ in- 1.

fundantur ad consumtionem ipsius infusionis, addatur sacch. crassioris ℔ß. Misce & servetur ad usum, ex quibus capietur ℥iß. usque ad ℥ij. per dimidium horæ ante cibum.

Ad hanc methodum poterunt aliis etiam modis parari, ut si cum dictâ infusione non tantum capiantur ℥ ij fol. senæ, quæ ita se habent ad passulas, ut pro qualibet ℥. passularum ℥i. ut in lib. 1. passularum sint ℥iij. fol. senæ, sem. carthami ℥iß.

Posset etiam addi Rhab. ad ℥ß. sed hoc non erit decoquendũ cum reliquis, sed factâ coctione in dicta infusione ros. coletur & postea Rhab. addatur, quoniam vis ipsius Rhab. cum dictis foliis & seminibus absumentur, neque Rhab. decoquatur sed tantum infundatur, & potest addi ℥i. cinnam. Quin etiam pòst sacch. additum poterit addi cinnam: electum ad ℥ij vel iij pulverisatum, ut tota confectio reddatur iucundior, & hæc poterit esse forma satis frequens. Quandoque verò pro variis scopis loco sacch. poterit capi Manna,

na, aut mel ros. solut. vel mel viol. solut. vel syr. ros. sol. vel syr. viol. sol. ut reddatur vario modo vel validior vel imbecillior.

Ita liquor ipse poterit parari cum ijs, quæ sunt aut frigidiora, aut calidiora, aut iucundiora, aut minus iucunda, ut ex una methodo artificiosa innumerabiles formæ particulares possint produci.

Fiunt & Fercula, quæ menestræ vocantur ex Betis & Mercuriali cum multo oleo dulci, & passulis, quæ etiam commodè leniunt, & magis, si addatur ex pulvere senæ à ℥ß. usque ad ℥j. Pro iucunditate addatur aliquid mellis aut sacch. aut etiam cinnam.

Et de lenientibus hæc tanquam exempla satis sint.



DE PRÆPARANTIBUS.

Materia præparanda dicitur respectivè.

PRo materia præparanda iidem ferè sunt scopi considerandi. Nam præparatio materiæ ad aliquid dicitur nimirum ad ipsius evacuationem, ut commodè fiat & absq; ullo nocumento. Cognoscenda itaq; materia, & quæ debet evacuari, & quæ non debet. Et quæ debet evacuari, qua ratione possit commodè evacuari, ab hac enim ratione pendet tota præparandi ratio.

Notandum igitur materiam, quæ in corpore existit, aut omnino bonam esse, aut omnino malam, aut corruptã, aut mediam.

Materia bona Mala corrupta.

Prima materia neq; evacuationem, ideo neq; ullam præparationem postulat, quoniam ipsa retinenda est. Secunda verò, quæ omnino mala est & corrupta, ea, quàm celerrimè fieri potest, est evacuanda & expellenda. Ut autem commodè expelli possit quam celerrimè mitiganda erit; & via aperienda 1. Aph. 24. 2. Aph. 17.

Malignitas materia.

Quandoq; verò materia ita maligna est, ut tametsi evacuetur tamen

ægro-

ægrotans intereat, quod quidem contingit non ex materiæ malignæ evacuatione, sed ex interna pessima affectione, unde talis materia oritur. 4. Aph. 21.22.23. & lib. de atra bile. Vbi ostenditur aliam bilem verè atram non evacuari nisi cum morte.

Materia verò media ea dicitur quæ partim potest ad benignam naturam reduci, partim non potest. Hæc igitur ea est, quæ sæpius reperitur in corp. quæq; propriè præparatione eget. Materia quæ præparatione indiget.
1. Præparatur autem ubi pars melior materiæ coctione in nutrimẽtum vertitur, pars verò deterior eadem coctione ita afficitur, ut commodè & absque ullo nocumento evacuari possit: ut quæ tenuior est, & acrior attemperetur, quæ crassior & tenacior attenuetur atque incidatur & temperata fiat. Neq; mirum, quod eadem coctione hæc omnia præstari possint: cum naturalis calor semper id efficiat, quod optimum est. Unde fit ut materia, quæ est apta verti in nutrimentum, vertatur optimè, quæ verò est inepta & excrementum 1.

tum

tum eſt ea redigatur ad eam bonitatem excrementi, quæ in excremento reperiri poteſt. Et hæc eſt prima ratio præparationis, in qua præcipuè enitendum eſt, ut calor naturalis reddatur potens & materia ſequax. *Redditur potens ex attemperamento, ex remotione oneris & eorum omnium, quæ ipſum opprimunt, ex viarum & meatuum apertione (ut veluti ſplendore ſuo poſſit per univerſum transferri, alioqui ſuffocatur) & nutritione optima & maximè commenſurata, & ſpirituum optimorum conſervatione, & humorum.*

2. Viarum ipſius corporis præparatio.

Secunda verò præparationis ratio, ut commodè fiat evacuatio, in viarum apertione exiſtit, quæ duplici ratione videtur perfici. 1. Quidem eſt per ea, quæ aperiunt & dilatant. 2. Verò per ea, quæ naturam ipſam aſſuefaciant ut per convenientia loca commodè expellat. Ut ſi per clyſteria aſſuefiat ad evacuationem per alvum, & ita de reliquis.

Prima ratio præparationis ſemper opti-

ptima est, secunda verò corpore existente repleto valdè periculosa est. Quoniam copiosa materia, dum viæ patefiunt, impetuosè fertur & magnas parit obstructiones. Itaq; secunda hæc præparatio evacuationem aliquam corporis supponit. De hac utraq; præparatione Hipp. & Gal. 2. Aph. 9. & Gal. 1. Aph. 24. & in suis lib. de Meth. Med. 9. 10. & 11. De hoc periculo ex secunda præparatione vide Gal. 11. Meth. 4. & 10.

Materia verò ad hanc præparationem varia est accommodata. In usu sunt syrupi, qui habentur parati apud pharmacopolas, ex succis Medicinarum & saccharo, vel melle conditi, ut diu servari possint. Sunt & decocta varia, & aquæ stillaticiæ. Sunt & plura alia genera materiæ, quæ præparare possunt; sunt & cibi & potus; sunt & externa, quæ illud idem præstare possunt. *Medicamenta præparantia.*

Quæ omnia præparantia debent respicere materiæ peccantis *Scopi juxta quos*

natu-

medicamentum præparans dirigendũ est. *naturam, quantitatem, qualitatem, locum, fixionem vel mobilitatem, morbum, naturam etiam externorum omnium, quæ aut calorem naturalem debiliorem aut materiam minus sequacem reddere possunt.*

Ex his scopis eligenda est materia præparans, & eius quantitas, forma tempus & modus, qua materia accommodari debet. Materia igitur eligendi varia est, pro varia materia præparanda, & reliquis scopis propositis. Similiter & reliquæ conditiones variæ erunt, pro variis propositis scopis. Ut autem distinctè agatur exempla pro quolibet genere materiæ præparandæ proponentur.

Præparatio in pituitosis humoribus. In materia itaq; pituitosa naturali quantitate sola *peccante, aut etiam qualitate, sed leviter, materia præparans eligetur, quæ possit moderatè calfacere, ut pars melior in sanguinem vertatur, pars rebellior commodè evacuetur. Pars melior vertetur in sanguinem, & pars deterior præparabitur ad expulsionem, si attenuetur, incidatur,*

tur, & detergatur, quoniam crassa est & viscida. Et quò materia hæc copiosior erit, aut etiam rebellior, eò efficacior eligetur materia præparans, & copiosior: eaq; frequentius & diutius adhibebitur.

Materia Pituitosa si fuerit in ventriculo, id est, in loco valdè propinquo, indiget materia præparante, quæ in ventriculo maneat, neq; alio deducatur, quod fiet si minus liquida erit. Quò verò pituita fuerit remotior, eò materia præparans liquidior erit, vel cum aliquo deducente magis mista: si fixa erit valentioribus, si mobilis levioribus opus erit. Et quo morbus frigidior erit, eò calidioribus, si calidior, eò minus calidis opus erit.

Hæc autem omnia sunt diligentissimè commensuranda atq; ad optimam proportionem redigenda cum viribus & natura ægrotantis, & partis læsæ, & partium aliarum, per quas medicamentum deducitur, & cum ipsa consuetudine, & aëre atq; reliquis externis, ut ita materia præparetur, quò calor natura-

tura-

turalis simul valentior reddatur, quod fiet præcipuè ex partis & totius attemperamento & eâ corroboratione, per quam materia non retineatur, sed potius expellatur & minimè generetur. Exemplum sit. Ut:

℞ *Mellis rof.* ℥i. *Syr. de Betonica Oxymellis simplicis an* ℥ß.

Misce pro syrupo, & calidior detur per 3. vel 4. horas ante cibum.

Syrupi præparantes.

In quo exemplo est mel Rosatum simpl. *quod moderate calefacit, attenuat, detergit & roborat.* Betonica *eadem ferè præstat, sed & aliquo modo incidit, & caput etiam respicit, ubi est fons pituitæ. Hipp. 4. de morbis* Oxymel *valentius incidit & aperit, & ideo in primis diebus capitur in quantitate modicâ, ne materia copiosa præcipitetur. Quantitas totius compositionis est* ℥ij. *quoniam ex usu communi quantitas hæc reperitur commoda. In delicatioribus & in minori necessitate minor erit quantitas.*

I

In robuſtioribus & in maiori neceſſitate, maior erit quantitas. Capitur ex melle roſ. ℥j. *ex reliquis minus, quoniam mel roſ. dictis ſcopis eſt valdè accommodàtum. Capiuntur reliqua in proportione ſub dupla, ut proportio optima ſit inter ea quæ miſcentur.*

Capietur hæc compoſitio non diluta, *ſi materia erit in ventriculo; ſi verò fuerit remotior addetur decoctio, quæ ad eoſdem ſcopos reſpiciat, ut decoctionis Betonicæ, menthæ, ſalviæ* ℥ iij. *Quæ quantitas decoctionis dupla eſt ipſius ſyrupi.*

Datur ſyr. actu calidus, *ut calor naturalis familiaritate caloris excitetur & facilius agat.*

Datur per 3. vel 4. horas ante cibum, *ut opus ſuum ferè poſſit abſolvere, neque à cibo impediatur. Syrupus hic poteſt mutari pro ſcopis mutatis.*

Et poteſt capi Syr. de Betonica comp. de ſtæchade, *qui ſyrupi caput*

maxi-

maximè respiciunt, de Hyssopo, *qui pectus.* Oxymel *potest fieri magis vel minus acre. 1. de ratione victus in acutis.*

Potest etiam capi oxymel scilliticum, *quod caput & pectus respicit & valentius est.* Syr. de Absynthio, de mentha, *qui ventriculum maximè respiciunt. Sicut & alij, qui possunt ex eadem methodo eligi, & eadem ratione parari, ut* syr. de corticibus citri ad cor, *ut* syr. acetos. s. vel oxymel compos. *cum diureticis pro lotio provocando, quod optimum est (Gal. 4. de Tuenda valetudine) facta tamen prius aliqua evacuatione.*

Decoctum praeparans. *Decoctum etiam ex ijs, quae dictis scopis possint inservire, simili methodo parabitur, ut ex Bethonica, Stecchade, Hyssopo, Roremarino, Salvia, Morrubio, Menta, Absynthio, Agrimonia, Fœniculo. Iva, Calamento & similibus, quod decoctum parabitur in aqua, ut magis penetret, aut in iure macro, in delicatioribus & viribus debilioribus. Quantitas ipsius erit communis*

munis quidem dupla ad syrupum. Quod si optimè feratur & ad partes remotiores debeat penetrare, maiori quantitate capietur, & cum ijs quæ deducunt, ut pro Nervis & articulis Iva & Betonica, *quæ eadem & caput & pectus & ventriculum & renes respicit.*

Decoctum autem ipsum validius erit, plus minusvé, pro maiori vel minori coctione medicamẽtorum. Validius autẽ capietur, vel minus validũ, & in maiori vel minori quantitate, pro varia necessitate, & pro varia ægrotantis natura, ut quantum licet per morbum. Medicus gratificetur ægro, quod maximè utile est. Hipp. 2. Aph. 38. 6. Epid. 4. 8. Potest etiam decoctum solùm dari sine syrupis, si ita gratiùs aut commodiùs fuerit.

Loco decocti possunt capi aquæ stillaticiæ ex ijsdem medicamentis, quæ eosdem scopos respiciant, quæ tamen mihi non omninò probantur, quoniam ex destillatione, quæ communiter fit ex vasis plumbeis plurimum amittunt *Aquæ stillaticiæ præparantes.*

N *sua*

suæ facultatis & aliquid acquirunt alienæ. Verum quia non semper præstò sunt medicamenta coquenda, ideo necesse est quandoq; capere aquas stillaticias, quæ habentur paratæ, & longo tempore conservantur. Et quando capiuntur aquæ stillaticiæ (quia separatæ servantur, & debent misceri secundum proportionem) secundum eandem proportionem determinatur illa proportio per particulam Medicis valdè usitatam, Ana, id est, analogicè vel æqualiter. Ut:

℞ *Aquæ Betonicæ. Mentæ. an ℥ij.*

Id est singulorum ℥ij & erunt ℥iiij. Quod si in æqualiter capiantur aquæ propter scopos in æquales, singulis sua quãtitas addetur. Si verò ex una plus ex aliis æqualiter, illi uni sua addetur quãtitas, reliquis verò apponetur particula illa Ana, ut:

℞ *Aq. Betonicæ ℥ij. Mentæ, Salviæ an. ℥j. Particula illa* ana *non est apponenda decoctis, quoniam decocta fiunt ex medicamentis omnibus simul mi-*

stis. Potest tamen apponi medicamentis quoniam debent misceri, ut fiat decoctum. Et hæc satis pro exemplo materia pituitosæ.

In materia verò Biliosa, quæ tenuis est, calida & acris, *quaq; in Epate, atq; in venis præcipuè abundat, & in vesica fellis atq; etiam in una vel pluribus partibus aliis potest abundare, si ad eas fluxerit.* *Præparatio in biliosis humoribus.*

℞ *Syr. de cichorea, de succo acetosæ an.*

℥vi. *Decoctionis acetosæ, Cichoreæ, Borrag.*

℥vi. *Misc. per 3. vel 4. horas detur ante cibum calidus, vel frig. pro varia natura materiæ, morbi, partis, ægrotantis & temporis.*

Cichorea *autem refrigerat moderatè & attemperat bilem & Epar, & amarore suo detergit & aperit, & calorem naturalem Epatis maximè vivificat.*

Acetosa *verò eadem præstat, & utraque Epar leviter roborat.*

Borrago *etiam humiditate sua acredinem humoris & calorem ipsius & Epatis mitigat. Tota compositio capitur ad* ℥iß. *in minori quantitate quam syrupi ad pituitam. Quoniam syrupi ob dulcedinem facilè in bilem verti possunt* 3.lib.alim.cap. de melle. *Si tamen valdè diluantur deducunt & non vertuntur in bilem.* 3. de ratione victus 9.& ul. *ubi de Mulsa loquitur. Ideo & decoctum capitur copiosius, ad ℥vi. Ut sit quadrupla proportio ad syrupum, ut ita magis attemperet & magis penetret.*

Potest etiam capi decoctum adhuc magis copiosum ad ℥ix. ad ℥xii, ut copia adsit & proportio servetur. Potest etiam syr. capi in minori quantitate, ut utriusq; sit an. ℥ß. tuncq; decoctum poterit dari in ea quantitate, quæ ægrotanti satis faciet, semperq; cum ℥i syr. proportionem habebit.

Potest etiam dari solum decoctum sine syrupo, si gratius fuerit, aut ubi syrupus non præstò sit. Poterit etiam decoctum parari plus minusvé validum,

& ita

& ita plus minusvé iucundum, ut superius dictum est. Potest dari calidum actu, sed leviter, si ventriculus ita melius ferat, vel etiam frig. si & materia & ægrotans & reliqua sua caliditate id postulent. Datur per 3. vel 4. horas ante cibum, ob sæpius dictam rationem.

Potest tamen etiam dari per horam unam vel duas ante cibum, si ob insignem caliditatem & siccitatem materiæ, morbi, & ægrotantis & temporis opus fuerit. 10. Meth. 3.

Potest etiam bis in die dari, & mane ante cibum, ut dictum est, & post cibum non statim, sed 5. vel 6. horas, plus minus, pro variis scopis, ex 3. Acutorum 44. ubi de oxymilite loquitur.

Syrupo dicto potest addi syrupus acetosus, ut ex singulis trib. capiatur an ℥ß. & conveniet, ubi sunt obstructiones, ut in febribus putridis, & magis penetrabit, magisq; extinguet fervorem bilis. 3. Acutorum 38. Syrupus tamen Acetosus, ut etiam Oxymel & acetum cavebitur, quando bilis tenuior

Cautio de aceti usu.

nuior est, atq; ex ipsius fluxione periculum immivet, aut dysenteria, aut phrenitidis, aut similium affectionum; aut quādo corpus est admodū siccum, aut nervi, aut uterus debiliores sunt, & in summa, ubi periculum est ne bilis tenuis fluat ad aliquas partes & eas lędat.

Sunt & alij syrupi qui in tali materia peccante possunt capi, ut in corpore sicciore, vel pectore affecto ex materia tenui & biliosa: syr. violat. s. si caput afficiatur syrupo ros. s. si renes, syr. de Nymphea, si ad sint fluxiones acres, ut & syr. de portulaca. Quandoq; & astringentes sunt necessarij in talibus fluxionibus acribus, ut syr. de agresta, de granatis, de rosis siccis. Similis ratio in similibus affectibus servanda est. Neq; tamen tam multi syrupi sunt simul capiendi, sed servanda est quantitas, & ratio componendi superius proposita, ut omnibus scopis satis fiat, partim ex syrupo aut uno tantum, aut duobus, aut tribus simul mi-

stis,

stis, partim ex decocto quod ex multis medicamentis parari potest.

In progressu verò, si lotium sit provocandum, possunt addi diuretica, ut est syr. acetosus, de duabus & 5. radicibus, deq; cichorea syr. compos. sine Rhab. *Nam componitur & cum Rhabarbaro & Sirie Rhab. & ideo quando ordinatur syrupus de Cichorea compositus addendum est aut cum Rhabarbaro, aut sine Rhabarbaro.*

In decocto etiam possunt misceri semina provocantia lotium frigidiora contusa cum propriis corticibus lotis. Ita enim cum corticibus magis detergunt. Sed debet decoctum per colari optimè. Si decoctum haberi non potest, pro eo capientur aquæ stillatitiæ, ut superius dictum est. Et hac satis tanquam exempla præparationis materiæ biliosæ peccantis.

In humore verò Melancholico, qui crassus est, *terreus & siccus, qui quandoq; magis frigidus est, quandoque minus, quandoq; verò particeps* *Præparatio in materia Melancholica*

est partium calidarum, & valdè aereum. Semper verò difficilis, ut paretur & commodè expelli possit, cum sit suapte natura valde immobilis, secundum totam suam substantiam crassam & terream. Ratione verò vaporum & flatuum, quos maximè gignit, mirum est, quam multos partes quandoq; etiam simul petat & affligat. Syrupus sit talis aut similis.

℞. *Syr. de Buglossa, de Fumaria ſ. Oxymellis ſ. an. ℥ß. Decoctionis fumariæ. Borrag. Melissæ ℥vi. Misce & detur actu calidus per 3. aut 4. horas ante cibum.*

Buglossa *moderate calefacit, & humectat, & attemperat humorem & cor maximè exhilarat, in quo vita fos existit. Atq; cũ vita maximè in calido & humido existat, ideo cor ab humore Melancholico frig. & sicco terreo maxime solet lædi. Ideò & cordialia medicamenta, maximè sunt necessaria.* Fumaria *verò attenuat & aperit, & eundem humorem expurgat.*

Oxymel verò incidit valenter &

aperit, & est aliorum veluti vehiculum. Verum quia frig. est & siccum, & suis qualitatibus fermentat & auget humorem Melancholicum (3. de ratione victus 38.) *Ideò in pauca quantitate capitur & pro incisione potius & deductione non pro alteratione.*

Borrago *verò similis est Buglossa.* Melissa *valdè cordialis est, in modica quantitate sumpta & cum aliis optimè mista, neq; calefacit neq; exiccat. Quantitas ipsius syrupi est ℥ß nebilescat. In materia tamen frigidiore poterit capi ad ℥ij. Decoctum ℣.capitur ad ℥vi. potest etiam capi in maiori quantitate, quoniam materia hac maximè omnium indiget, & ut humectetur, & ut diluatur, ut tanquam lutum maximè dilutum & aquosum factum faciliùs expurgari possit. Ut fortè ad hoc respiciens. Hipp. humorem hunc aquam appellaverit. Daudus autem syrupus est actu paulò calidior in materia frigidiore. Dabitur autem paulò frigidior, non frigidus in materia valdè acri & urente.*

De proportione verò & de tempore iam satis dictum est. Potest autem dari & bis in die, ut superius dictum est, si ventriculus ferat, cuius semper habenda est ratio, ita & reliquarum conditionum.

Potest hic syrupus mutari ex methodo superius positâ, & possunt capi calidiora in materia frigidiore, & paulò frigidiora in materia valdè usta & urente.

Habenda est etiam ratio Epatis, in quo humor hic generatur, & lienis in quo aggregatur. Ideo & fons vocatur huius humoris, Hipp. 4. de morbis. Gal. 1. ad Glauc. cap. de quartana. *Sunt & alij syrupi ad hunc usum,* ut syr. de lupulis & de pomis s. *qui ferè mediæ sunt facultatis & cordi familiares. Est &* syrupus de Liquiritia. *Est &* syrupus de corticibus citri *pro corde. In materia etiam valdè exusta est* syr. viol. s. *& alij quicunque valdè humectant & leviter refrigerant.*

Sunt

Sunt & syrupi compositi superius propositi, de Fumaria, de pomis, *qui & præparant & expurgant, quiq; in progressu temporis vicissim possunt dari modi simplices, modi compositi. Decoctum etiam potest vario modo parari, ex simili methodo, ex ijsdem medicamentis ex quibus fiunt syrupi, & quæ respiciunt & humorem & morbum, & partes læsas & vires, & potest parari cum aqua.*

Maximè verò parantur, si fieri potest, cum iusculo pullorum fœminarum, quod maximè attemperat, & substantialiter humectat, & vires recreat.

In ipso etiam decocto res vocata pectorales commoda sunt. Quod si decoctum parari non potest, aquæ stillaticiæ capiantur similes, quæq; dictis scopis satis faciant.

In Materia verò salsa eadem ferè *commoda sunt medicamenta, quæ in melancholia acri, & acetum est cavendum, quoniam* *Præparatio in materia salsa.*

materia illa eget non tantum attenuatione, detersione, sed maximè attemperatione. Ideo Betonica, lupuli, fumaria, Borrago, Buglossa, liquiritia, Malva & similia commoda erunt, & quæ ex iis parantur.

Præparatio in materia mista. In Materia verò mista pro variis scopis ex mistione *& syrupi & liquores erunt miscendi, eâdem prorsus methodo, quæ sæpius iam fuit declarata. Sunt & alia medicamenta, & aliæ formæ, quæ similiter adiuvant præparationem, ut succi ex dictis medicamentis, ut pulveres, ut conserva, ut confectiones solidiores, quæ in forma rotularum, vel morsellorum parantur, & alia plurima similia.*

Adiuvant etiam ea quæ extrinsecus adhibentur, & illinitiones & cerata & Emplastra & frictiones commoda. Maximè vero omnium aër commodus, & animi accidentia. Quibus omnibus medicus diligens debet uti, & ex arte divina ad finem propositum referre, ut & ipse tanquam divinus ab omnibus habeatur.

Ma-

Materia verò præparata evacuanda erit, in qua evacuatione arte maximè opus est: quæ maximè hac in parte naturam debet imitari. Quare si materia præparata sponte à natura purgetur, non est quod arte purgatio teneatur. 1. Aph. 20. Ubi verò natura deficit, tunc arte satisfaciendum erit, eâ tamen mensura, quâ natura uteretur, si libera esset ab impedimentis & valida.

De ipsa ratione purgandi institutum meum non est agere; sed hâc suppositâ non nulla proponere, quæ purgant, quæq; sunt magis in usu, non omnia, quia infinitum esset, & omnino præter propositum.

DE PURGANTIBUS.

Impedimenta purgationis.

PRo purgatione itaq; faciendâ primum observandum est, an materia sit præparata, & corpus aptum ad purgationem. 1. Aph. 23. Ubi enim morbus est valdè calidus, ubi obstructiones plures, hypochondria tensa aut

flāmea; corpus valdè gracile & siccum, aut etiam languidū, aut similes adsunt conditiones, purgationes sunt cavēdæ & maximè medicamēta, quæ sunt valida.

An & quando materiâ præparata & corpore apto sit purgandū.

Ubi verò & materia præparata est, & corpora sunt apta, observandum an natura sponte evacuet, an non evacuet, si evacuet, an perfectè, an imperfectè, si perfectè nihil moliendum, ut dictum est ex 1. Aph. 20. si verò aut non evacuet, aut non perfectè, purgandum erit. Quoniam quæ relinquuntur in morbis recidivas facere consueverunt. 2. Aph. 12.

Quid in purgantibus exhibendis cōsiderandū.

Ubi itaq; purgandum erit, considerandum, quid eligendum sit pro purgatione, quantum, quale, & quomodo sit adhibendum, & quid ante & quid pòst sit faciendum, & quid in ipsa purgatione, dum fit, sit observandum.

Quid eligendum pro purgatione.

Quid autem sit eligendum capietur è humore peccante. Nam proprio humori proprium debetur medicamentum: Verum quia eundem humorem varia medicamenta purgant, ex quibus alia sunt validiora, alia debiliora,

ratio

ratio hæc medicamenti particularis sumetur, & à Materiæ quantitate, *quia pauca materia leviori eget medicamento, multa verò validiori*: Est à materiæ loco: *Propinquior enim levius postulat medicamentum, remotior validius*: Et à materiæ nobilitate, fixione, *ut superius dictum est*. Et à morbo. *Nam in morbo acuto & calidiore cavenda sunt purgantia, quia omnia calida sunt. Et* ab ægrotantium, viribus & natura, *ubi vires debiliores, ægrotans delicatior & mollior & tenuior*, vel ex ætate, vel ex habitu, *quique facilè dissolvatur, & non sit asuetus, leviora sunt adhibenda. Maximè verò* à natura ægrotantis *capitur, si quis à tali medicamento facilè & feliciter purgetur aut non. Sumitur & hæc ratio à* partibus affectis: *quædã enim alia medicamenta ferunt, alia non ferunt. Sumitur etiam* à temporibus, cõstitutionib. & regionibus *q̃ ubi calidiora fuerint, cavenda sunt purgãtia.*

Sumitur etiam ab externis & cõsequentibus. *Nam aut ubi nõ adsunt, ea*

quæ non sunt necessaria, aut adsunt quæ ægrotantem possunt valdè turbare, aut possunt consequi, quæ & turbent & agitent, tunc purgantia aut omnino sunt cavenda, aut certè quæ validiora sunt.

Hæc colliguntur ex Hipp. lib. de purg. & 2. & 4. de ratione victus, *& aliis sexcentis locis, & ex* Gal. lib. Quos enim purgare oporteat, & in libris de meth. med. *Et in* commentariis suis in Hipp. Et Avic. 4.1.

Medicamentum eligitur simplex & compositum.

Cumq; idem humor possit purgari, & à medicamento simplici, & à composito, non solum eligendum erit, medicamentum aut lene, aut validum, sed etiam aut simplex aut compositum.

Simplex medicamentum multiplex.

Simplex verò medicamentum quò validius est, eò magis cavendum: Si lenius sit, magis eligẽdum quam compositum. Quare si simplex haberi poterit moderatum, optimum erit sin minus compositum erit eligendum.

Compositum medicamen-

Sed composita sunt in duplici differentia: quadã constãt ex uno tantũ medicamento valido purgãte, & reliquis

corri-

corrigentibus: quædam verò constant ex pluribus purgãtibus. Illud primum, quod validum est, tametsi fuerit correctum, non tamen est adhibendum, ubi opus est moderato medicamento, aut ita corrigendum, ut lenius fiat, ut Gal. fecit, qui cum sero lactis miscuit modicum scammonij. 14. Meth. 17. Illud verò quod est compositum ex pluribus purgantibus, aut respicit plures humores, aut unum tantum: si plures humores respicit, conveniet ubi etiam plures humores peccant. tum multiplex.

Si respicit unum tantum humorem, aut componitur ex validis medicamentis pluribus, aut ex uno valido & reliquis lenibus: si ex pluribus validis, illud non convenit, nisi ubi opus est verè medicamento valido. Illud verò quod ex uno valido constat medicamento, & reliquis lenibus longè tutiùs est.

Verùm quia medicamenta hæc sæpè componuntur ex simplicibus aut adulteratis, aut vetustis, & quandoq; ex aliis componuntur, quam deberent,

componi, & venenosis, quandoq; etiam ita sine arte componuntur, ut potius fiat quædam confusio quàm compositio, quare tutius erit eligere simplicia lenia quàm composita. Quandoq; tamen etiam composita capienda, ubi aut simplicia optima non habentur, aut sumptus fieri non potest, aut quodcunque aliud fuerit impedimentum.

Neq; satis est eligere medicamentum aut simplex, aut compositum, verum etiam capiendum est illud, quod purget humorem per eam regionem, per quam commodè purgari potest. Sed quia institutum meum non est agere nisi de ijs, quæ per alvum purgant, Ideò ubi materia naturam ad alvum proclivis erit, medicamentum per alvum purgans erit eligendum. 1. Aph. 22. 4. Aph. 17. 18. & 20.

Quandoq; tamen per alvum etiam est humor purgandus, tametsi ad eam partem non inclinet, sed potius ad superiores & nobiliores partes qui motus revulsionem postulat. Nam & purgatio per alvum quandoq; per revul-

sionem

sionem fit, ut Hipp. docet 4. Aph. 28. *exẽplo surditatis, quæ desinit superveniente deiectione, quod &* Gal. docet 6. Meth. 4. & 1. in lib. de humoribus.

Vbi inventum fuerit quid sit adhibendum considerandũ est Quantum. Quantitas autem exacta determinari non potest ex arte. Hipp. lib. de vet. med. *& videtur difficilima inventu. Ratio tamẽ inveniendæ quantitatis, quã potest inveniri, optima erit, si primũ capiatur quãtitas illa cõmunis, tanquã mẽsura, quæ ex cõmuni usu longa experiẽtia sit cõprobata. Deinde quantitas hæc limitanda erit ex conditionib. superius propositis, cũ de eligendo medicamento debili aut valido agebatur. Postremò limitabitur maximè ex particulari natura ægrotantis. Illud addo semper tutius esse citrà subsistere quã ultrà progredi, quoniã turpissimum est Medico enecare ægrotantẽ medicamento.* *Quantum exhibendũ*

Forma *medicamẽti ex præceptis superius traditis deleniẽtibus erit capiẽda.* Tempus *ẽt ferè ex ijs, quæ superius dicta sunt de lenientibus, determinari potest. Illud verò maximè est in cõtro-*

An conveniat purgare in principio morbi?

*versia, Num conveniat purgare in principio morbi universali? Nam ut innumerabilia loca & argumenta omittam, Hipp.*2.Aph.29.*jubet in principio, si quid movendum videtur, movere; ubi Gal. apertè de purgatione mentionem facit. Idem Hipp.*4.Aph.10. *iubet medicari in valdè acutis vel eadem die.*

Idem 2.acut.11. *iubet in principio alvum molliendam esse, si dolor partes sub ipso septo infestet &c. & proponit veratrum, ut nomine quidem videatur intelligere lenitionem, cum inquit,* molliendam, *re tamen ipsa purgat verè, cum utatur veratro. Gal. etiam.* 14.Meth.8.*in tumore linguæ medicamentum validum ab initio præbet.*

Ratio etiam idem confirmare videtur. Nam si humores à sanguine distincti impetuosè ferantur ad partes superiores nobiles, certè ij evacuandi sunt, non sanguinis missione, sed purgatione, ex libr. quos, & quando. 4.Meth.6. *Evacuatio vero dum materia fluit per loca opposita est facienda,*

da, ut revellatur. Hipp. 2. de natura lib. 6. Epid. 7. 8. & 9. *Impetus autē naturæ validus ad superiora, non potest ad inferiora repelli, nisi validum sit medicamētum. Quare necesse erit vel in principio morbi medicamentis valdè purgantibus uti.*

Ex adverso idem Hipp. 1. Aph. 20. *iubet concocta medicari atq; movere non cruda. Idem* Hipp. 4. de ratione victus 20. *iubet in principio inflammationis nullo modo dandum esse medicamentum purgans, & plurimas & validas addit rationes.*

Gal. quoq; lib. quos qu. &c. & 1. lib. de humoribus *videtur concedere purgationem tenuiorum humorum & serosorum in principio, quando turgent. Turgere verò dicuntur, cum ex uno in alium & alium locum feruntur, ut cum feruntur ad certam partem nullo modo turgere dici possint: Crassos verò, præsertim si firmati sunt, nunquam concedit in principio esse purgandos.*

Difficultas hæc maximè videtur

solvi à Galeno, si diligentissimè considderetur 4. acutorum *76. Ubi inquit, humores qui facturi sunt inflammationem, dum sunt influxu, & nondum firmati sunt, posse purgari: Ubi verò firmati sunt nullo modo, nisi post concoctionem.*

Ex quibus verbis colligitur principium inflammationis duplex esse: Alterum est generationis ipsius inflãmationis, alterum est principium inflammationis iam genitæ. Principium autem generationis est, dum materia ipsa fluit & nõdum firmata est, quod principium, inquit Galenus, non dierum numero posse determinari, sed ex materiæ fixione. Quod tamen tempus, inquit, quandoq; usq; ad 5. dies sese extendi posse.

Principium verò inflammationis genitæ dicitur, cum primum materia in loco inflammationis notabiliter firmata est, ad quod deinde sequitur augmentum, ubi manifestè augetur. Ita arbitrarer quæstionem hanc difficilimam posse solvi.

Ubi

Ubi materia movetur, in principio si fuerit materia, quæ purgationem, non missionem sanguinis, postulet, aut movetur motu certo, aut in certo: si motu in certo dicitur turgere, tunc mollienda erit alvus. 1. Evacuanda per medicamentum aut validum sed valdè lenitum, ut Hipp. facit, aut per medicamentum suâ sponte lene: si verò movetur motu certo, aut fertur ad partes nobiles aut ignobiles.

Si ad nobiles, quoniam materia turgens in principio purgatur, eò quod periculum imminet ne ad partem nobilem feratur, multò magis purganda erit, quæ certo motu ad partem nobilem fertur, & quia debet revelli motu contrario & eo valido, ideo opus erit aut medicamento valido, sed lenito, potenti tamen, aut mediaamento leni sed copioso, ut materia, quæ est in motu, possit ad contraria revelli, ea verò, quæ cruda est & quieta, non possit agitari.

Hoc

Hoc voluit Hipp. per particulam illam mollire, *& Gal. per particulam* manu ducere. *Si verò materia feratur ad partes Ignobiles, aut in ijs morbum magnum facit, an non: si morbum magnum factura est, ea mediocri medicamento mediocriter est evacuanda, ut magnitudo morbi prohibeatur, aut revulsione, aut derivatione, quæ tamen partes nobiles non fiat.* 6. Epid. 2. 32. *Materia verò, quæ iam firmata est in loco inflammationis, nullo modo purganda est, nisi ubi fuerit cocta, ob rationes Hipp.* 4. acut. 22.

Quod si materia non in uno loco sit, sed in pluribus, & in alio sit cocta, in alio non, quod quidem fieri potest ex Hipp. 1. Epid. 2. 25. 3. Epid. 1. 4. *tunc quæ cocta est ita poterit purgari, ut cruda non agitetur ex methodo iam propositâ.*

Quod si materia etiam in corpore copiosa paulatim coquatur, nihil prohibet eam, quæ cocta est, ita purgari, ut cruda non agitetur, neq; coctio ipsius impediatur. Impeditur autem coctio à medi-

medicamentis purgantibus, quæ vehementer movendo corpus frangunt, ex Gal. 4. acutorum 44. *non autem impedietur à medicamento leni aut mediocri, quin potius natura exonerata ex ea parte materiæ, quæ iam cocta est, quæq; onerat, multò facilius, quod reliquum est, coquit.*

Quod si materia uno in loco coquatur certè nunquam ea est purganda, nisi prius sit cocta. Sed hæc præter institutum sunt, quæ ob summam utilitatem non visa sunt comittenda.

Quomodo autem medicamentum sit dandum ferè ex præceptis superius positis colligi potest: Et hæc ferè sunt, quæ præcipuè in quolibet medicamento eligendo sunt consideranda, sed ante quam medicamentum detur corpus debet esse omninò præparatum ad ipsum accipiendum, ut neq; animus, neque corpus, neque aliquid externum repugnet. Corpus debet esse, quantum fieri potest, mollitum, de qua re iam satis dictum est. *Quomodo dandum purgans.*

Dum similiter cavendum est, quicquid

quid molestiam ægrotanti afferre potest, & si quis in sit malus odor, is est obtundendus, & æger bonis odoribus recreandus. Ubi sumptum fuerit, procurãdum ut omninò retineatur, quod fiet, si impetus medicamenti ad superiora, ad inferiora revellatur & à superioribus repellatur.

Ad inferiora retrahetur, si digiti pedum ligentur moderatè, si cucurbitulæ siccæ imo ventri affigantur, si venter molli tegumento foveatur, tepido non calido. Repelletur autem expetia madefacta cum aceto & aqua, ros. collo circumposita: Si cremor ptisanæ aut iusculum statim sumatur, quod deducat ad imum ventrem & abluat, partes medias, paucum quidem, si pro abluitione tantum capiatur, copiosius verò, si etiam pro nutritione. 2. Acut. 12.

Si modicum aut cotonii aut pyri, aut pomi, aut alicuius rei astringentis mandetur, ut anisa sacch. condita, quò caveatur abominatio medicamenti, quæ abominatio quandoque inest ipsi me-

medicamento, quandoque oritur ex imaginatione ſumentis, ideo procurandum ut æger nihil tale ſibi imaginetur, ſed alacriter ſumat.

Ad medicamentum ſumptum, ſi fuerit validum ſequatur ſomnus, ex Avic. 4. 1. ut calor colligatur & magis agat, ſi verò non ſit validũ, non neceſſarius eſt ſomnus, poſt primam horam ſomnus nullo modo capiatur, ſed in ſumma quiete æger eſt continendus.

Poſt ſumptum medicamentum quid agendum.

Poſt 3. vel 4. horas cum materia peccans iam fuerit à medicamento attracta, nihil abſurdum, ſi quæ ad ſuperiora vergit per ſuperiora purgetur; quæ ad inferiora, per inferiora. Quod ſi non purgetur materia, tunc ambulatione ſi commodè fieri poteſt, eſt movenda. 4. Aph. 14. Dum autem purgat cibus, non eſt dandus. 2. Acutor. 13.

Poſt purgationem factam cibus dandus erit, ſed conſueto minor, deinde paulatim augeatur: Si purgatio cũ labore & dolore fiat, poſt materiam iam attractam quæ difficulter expella-

tur, expulsio poterit adiuvari cum iure calidiori & cum sacch. rubro, vel cum iusculo malvarum, cum modico absynthij, vel mentæ, vel melissæ, vel re simili. Quod si nimium purget & furiosè, in summa quiete æger est continendus, & impetus revellendus est frictionibus & ligaturis brachiorum tantùm, non crurum, & temperandus impetus iusculo pullarũ fœminarum, in quo granata sint expressa, in modicâ tamen quantitate; aut modicum citonij sit decoctum, vel aliquod simile astringens.

Extrinsecus verò foveatur venter oleo dulciß. tepido, ita & axillæ, & imus venter ol: ros: & mastichino foveatur, aut etiam de citoniis. Et hæc fere capita sunt summa eorum quæ videntur necessaria & latiùs explicata quã nedri esset instituti: Sed iam ad particulares humores descendum est.

Ad pituitam medicamentum in Bolo tale videtur commodum.

℞. Diacatholici ℥j. *Agar. Trochisc.*

spec

ſpec. Hieræ ſ. an. ℨj. cum ſacch. fiat bolus per 5. vel 6. horas ante cibum. Purgantia phlegmagoga. In forma boli.

Capiatur hic Diacathol. tanquam leniens. Quod tametſi diverſos reſpiciat humores, ita tamen alios leviter reſpicit, ut coniunctum cum Agarico adiuvet purgationem pituitæ. Sed quia in Diacatholico multa ſunt frigidiora, & frigida ventriculo inimica ſunt, ideò ſpecies hieræ 5. adduntur pro correctione ipſius, atq; etiam Agarici, quod videtur valdè moleſtum ventriculo.

Capitur autem ad ℨj. quoniam in minori quantitate non videtur movere. Additur Agaricus, qui præcipuè pituitam reſpicit & capitur Trochiſcatus, id eſt, in trochiſcos redactum ex ipſa præparatione & correctione, & corrigitur ex Zinzibere & vino, alij addunt ſal gemmæ.

Debet autem capi Agaricus præparatus, qui eſt forma Trochiſcatus, qui in ſubſtantia ſolet dari ad ℨij. ut quantitas propoſita cum quantitate Diacatholici & ſpec. hieræ videatur amplior

esse, quam conveniat. Verum & experientia comprobatur commoda esse, & ratione. Quia medicamentum validius coniunctum cum levioribus retinet vim evacuandi, sed eam habet multò leviorem.

Agaricus autem & hiera, *quia utrumq; calidum est, commodè corriguntur à frigidis, quæ in Diacatholico continentur. Ratio formæ & temporis & reliquarum conditionum iam superius sunt explicata. Medicamentum hoc potest mutari vario modo, ut si pro Diacatholico capiatur aliud Electuarium accommodatum vel cassia. Poterit etiam mutari quantitas, ut si capiatur ex Electuario aliquo vel ex cassia ℥vi.*

Spec. hieræ s.

Agarici Trochisc. an, ʒiß. Ita & tota quantitas medicamenti commoda erit, ita & proportio iusta servabitur.

Potest etiam capi Agaricus cum hiera tantum, ut si capiatur:

Agarici Trochiscati.

Spec. hieræ s. an. ʒiß. ad ʒij. cum melle ros. sol. f. bolus.

Po-

Potest etiam capi loco Hieræ s. Hiera Pachij composita, vel alia ex compositis, quæ videbitur commodior ut:

℞ *Agarici Trochiscati. Hieræ Pachii ana.* ℥j. *ad* ℥jß. *cum melle rof. sol. fiat Bolus.*

Potest etiam mutari Agaricus & capi aut Turbith, quod similiter pituitam purgat, & calidum est, ac siccum ex Mesue, in 3. gradu, ut tamen solum in usu non sit, quemadmodum neq; colocynthis, quæ vehementissima est cal. & sicca in tertio, & similiter pituitam purgat.

Ita & Elaterium quod & aquositates maximè purgat & valenter, calidum similiter & siccum in 3. datur ad gr. s. sed non solum, verum pro stimulo à gr. j ad iij. & est vehementissimum, ut si detur cum ℈j. *pillularum Assaiareth, aut Aloephanginarum, Elaterij gr. j. per tres horas ante potum aquarum thermalium, ut educantur, Et ad hydropen sæpè ad gr. iij.*

Turbith: *pulverisatũ datur ex Me-*

ſue à ℥j. ad ij. ut poſſit aut cum eiſdem miſceri quibus cum etiam Agaricus fuit mixtus.

Poſſunt etiam ſola capi ut Agaricus aut Thurbith ad ℥j ß. uſq; ad ij. Zingiberis ℈j. cum melle roſ.ſ.f. bolus unus vel duo. Poteſt etiam miſceri turbith cum Agarico, ut:

℞ utriuſq; ana ℥j.
Zingiberis ℈i.

Cum dicto melle f. boli, & erit purgatio ſatis valida, ſi aliqua non repugnent, quoniam & Agaricus & Turbith ſolent non parum turbare. Colocynthis *verò non datur niſi præparata, tuncq; vocatur Trochiſci Alandal, neque datur ſola ſed cum multis medicamentis validis miſcetur. Quantitas vero ipſius eſt ad gr.xii. & uſus ipſius commodus erit, ſi pro ſtimulo capiatur medicamentorum leviorum, ut ſi capiatur,*

Agarici Trochiſcati.
Spec. Hiera ſ. an. ℥iß.

Trochiſci Alandal. gr.v. cum melle roſ. ſol. f. bolus. Similis ratio & de reliquis.

quis. Commoda etiam erit compositio & proportionata, si capiatur.

Diacathol. ℥iij.
Diaphan. ℥ij.
Spec. Hieræ Pachij ℥j.
Agarici Trochisc. ℥ß.

Cum melle rof. vel simplici vel solutivo fiant boli.

Sunt & Hermodactyli cal. & sicci circa secundum, qui dantur à ℥ j. ad ℥ij. & faciunt maximè ad iuncturas & valdè solvunt, sed neq; ij per se soli dantur. Corriguntur & isti Zingibere, ut & Agaricus & Turbith. Quare & isti poterunt cum dictis misceri, ut si cum hiera s. & Agarico misceantur, ex istis duobus capiatur an. ℨ j. ß. ex hermodactyl. ℥ß.

Est & Diaphænicon Electuar. compos. quod tamen etiam bilem purgat, quod validius reddetur si ad ℥iij. Diaphænici addantur gr. vi. Trochisc. Alandal. Levius autem aget, si addatur ex Elect. aliquo leniente, vel ex cassia à ℥iij. ad ℥vi. sed quantitas, & cuiusq; compositionis, & eorum, quæ in

compositione capiuntur ex Methodo superius posita diligentiss. est investiganda: & hoc satis pro medicamentis in Bolo ad pituitam.

Phlegmagoga in forma potabili.

In forma verò Potabili, quæ tamen non valdè probatur ad pituitam, cum & ipsa sit frigida & humida, erit huiusmodi.

℞ Betonicæ p. 1.
Sem. Carthami fractorum ℥iiij.
Anisorum ℈j.
F. decoctio s. a.
Rec. dictæ decoctionis q. s.
Agarici Trochis. ʒij.
Zingiberis ℈ß.

F. infusio, & colatio & expressio s. a. postea adde mellis ros. sol. ℥iiij. Misce, f. potio, & detur per 5. vel 6. horas ante cibum. Quæ compositio ex Methodo declarata potest varia fieri, ut decoctum ex variis paretur, ut etiam addatur ex Diaphænico ʒij. & potest adimi ex melle ros. sol. ℥i. vel ij.

Est & forma quædam satis commoda quæ non videtur omninò potabilis & non valdè ingrata, eò quod ad pau-

paucam quantitatem redigitur, ut:

Rec. Agar. Trochiſ. ℨj. ad ℨjß.
Zingiberis ℈ß.
Mellis roſ. ſol. ℥iij.
Decocti Betonicæ,
Meliſſæ, Mentæ ℥jß. Miſc.

Sequitur Forma Pillularum ex quibus plurima reperiuntur compoſita & ſervata ad Pituitam: Ut pill. de hiera cum Agarico, pill. cochia, de hermodactylis, fœtida, de Euphorbio, & aliæ quarum deſcriptiones ubiq; reperiuntur. Verum poſſunt etiam formari ex arte hoc modo, ut: *Phlegmagoga in forma pillularum.*

℞ *Agarici Trochiſc. ℈v.*
Zingiberis gr. v. ad x.

Cum melle roſ. ſol. f. pillulæ Numero 5. & deaurentur pro nobilib. per 5. vel 6. horas ante cibum.

Aut etiam ſic:

℞ *Agarici Trochiſc. ℈iiij.*
Spec. hieræ Pachii. ℈ij.
Zingiberis gr. iiij.

Cum melle roſ. ſol. f. pillulæ. Sunt & pillulæ, quæ dicuntur de Agarico ſatis potentes: Sunt & hieræ ferè

omnes composita ad pituitam. Quantitas autem pillularum validarum & etiam hierarum commoda est à ℈iiij. ad vi. qua in re methodus superior semper memoria servanda est.

Cholagoga medicamenta. *Ad BILEM verò faciunt multa & simplicia & composita. Ex simplicibus præter illa satis lenia sunt Cassia, Manna, Tamarindi, Rosa, Violæ, & quæ ex his fiunt, & myrobalani citrini frig. in primo & sicc. in secundo, & Aloë de quibus satis dictum est supra. Est maximè infrequenti usu Rhab. & solum & compositum satis lene, & medicamentum Benedictum vocatum.*

Est & Scammoneum vehementiss. sunt deindè & composita. Rhabar. *cal. est & siccum in secundo, substringens: Unde simul & evacuat, & post evacuationem roborat, ut iure Benedictum vocetur, Bilem præcipuè purgat, sed & pituitam: datur in substantia à ʒij. ad iij. Infusum verò ferè ad duplam proportionem.*

Est autem in usu multis modis: sæ-

pè

pè enim ſolum manditur paulatino à ʒj. ad ʒjß. Ita enim videtur multis tã quam familiare medicamentum prodeſſe, per 4. vel 5. horas ante cibum. Quandoq; verò manditur cum modico paſſularum & ad iucunditatem, quia paſſulæ mitigant levem illam pharmacoſitatẽ. Et hoc modo in morbis longis ex obſtructionibus cum bile & pituita maximè ſolet eſſe in uſu, ut capiatur vel ſemel, vel bis in hebdomada. Rhabarbarum.

Fiunt etiam boli ex ipſo, ſi à ʒj. uſq; ad ʒij. miſceatur cum ſucco cichoreæ & f. boli. Poſſunt addi correctiva vel cinnamomum, vel ſpicanardi, vel Squinanthum, quæ corrigunt pharmacoſitatem. Succus verò cichoreæ corrigit qualitates primas. Ex eodem ſucco poſſunt fieri pillulæ ex Rhab. ex quo ſucco capitur q. ſ. pro formando aut bolo aut pillulis. Ita etiam ex ſyrnpo aliquo aut roſato vel ſ. vel ſolut. poſſunt fieri vel boli, vel pillulæ.

Verum quia maximè convenit morbis bilioſis, qui poſtulant iuſtam e-

vacuationem sine calefactione, ideò commodè miscetur cum medicamento leni, ut possit perficere utrumq. v.g.

℞ *Florum cassiæ rec. extr.* ℥i.
Rhab. Elect. ℈iiij. *ad* vi.
Cinnam. gr. v. *cum sacch. f. boli*
& dentur per horas 5. ante cibum.

Cassia & Rhab. sese invicem corrigunt. Potest autem pro variis scopis in minori quantitate capi utrumq. Loco cassiæ potest capi, quodlibet Electuariū ex dictis lenibus, præsertim ex iis, quæ bilem respiciunt. Additur cinnam. propter maiorem correctionem & propter pharmacositatem. Poterit etiam misceri cum aliquo Electuario composito puro contra bilem, ut est Elect. ros. Mes. quod satis mite est, & bilem maximè respicit, aut Electuar. de succo ros. quod non ita mite est, ut:

℞ *Fl. cassiæ rec. extr.* ℥vi.
Elect. ros. Mes. ℥ij.
Rhab. El. ℥i.
Cinnam. gr. v.
Cum sacch. f. bolus.

Pro cassia potest capi aliquod Electuarium leniens.

Possunt etiam fieri boli ex Electuariis solventibus, ut ex Electuario Diasebesten composito ad ʒvi. quia satis lene est, vel ex Diapruno composito ad ʒiij. Ita etiam Elect. ros. Mes. vel etiam illud de succo ros. Possunt etiam Electuaria solventia miscerè cum lenientibus, ut si capiatur fl. Cassiæ noviter extractæ, Elect. ros. Mes. an. ʒß. Hæc mistio lenientium cum solventibus maximè laudatur in delicatioribus, magis tamen pro nobilibus probo compositionem Rhab. cum cassia, quam usum compositorum, ob rationem superius dictam.

Elect. solventia dantur, Diasebesten quidem à ʒiij. usq; ad ʒviii. reliqua tria à ʒiij. usq; ad ʒvi. Ex his tribus magis laudatur Elect. ros. Mesuæ.

Rhabarbari usus in forma potabili.

In Forma verò potabili datur Rhab. hoc modo.

℞ *Decoct. fl. & fructum cordialium, aut decoctionis Endiviæ & acetosæ, aut aquarum utriusq; aut seri lactis caprini q. s. vel iusculi pullini: Rhabarb. Elect. ℥ij. Cinnam. Elect. ℈ß. f. infusio, & expressio s. autem postea adde syr. Ros. sol. ℥ij. usque ad iiij. vel Mannæ electæ ad ℥ij. vel iij. Misce fiat potus, per 5. vel 6. horas ante cibum. Et hæc forma est maximè in usu, & maximè convenit morbis biliosis & siccis.*

Dictum est superius de decocto florum & fructum cordinal. quod potest parari in aqua communi, & in aq. Endiviæ vel simili. Dictum est de sero, quod maximè videtur accommodum. Liquor hic communiter capitur ad ℥iij. & 5. Rhabarbarum verò cum infunditur solet irrorari cum modico vini Aromatici, ut vis illius magis roboretur; infunditur per 12. horas communiter: debet deinde percolari & optimè exprimi.

Ad-

Additur syr. ros. sol. qui & corrigit & adiuvat purgationem, & commodus est, ubi corroboratione opus est. Manna verò non roborat, sed adiuvat purgationem & eam facit leniorem.

Potest etiam capi loco Manna syr. viol. solut. ubi corporis siccitas postulat.

Possunt addi & Electuaria, quæ faciunt ad bilem, sed in nobilibus & delicatis non omninò probatur, possunt tamen addi ad maiorē evacuationē ut si ℥j. Rhab. dematur & ℥ij. Elect. Ros. Mes. addantur. Sed de quantitate iam satis dictum est. Potest etiam fieri potio ex Electuariis, ut:

℞ *Diasebesten s.*
Elect. Ros. Mes. an. ℥iiij.

Liquoris alicuius ex dictis q. s. Misce. & f. potio.

Potest etiam addi syr. ros. sol. vel aliq. ad ℥j. vel ℥ij. Est etiam forma quadam media, ut,

℞ *Syr. de cichorea aut s. aut comp. sine Rhab.* ℥j.

Rhab. Elect. ℥ß *usq; ad* ℥j. *Et detur vel cum cochleari, vel cum exiguo*

insculo,

iusculo, aut aqua stillaticia in minimâ quantitate, ad lenitionem familiarem sine purgatione, & præsertim ad puerulos.

Sunt & pillulæ ad bilem, quæ tamen in febribus biliosis nullo modo probatur, sed in morbis biliosis diuturnis, & ubi ventriculus & Epar afficiuntur & adsunt obstructiones. Sunt pillulæ paratæ de Eupatorio, pillulæ de flor. & Mastic. pillulæ de Rhab. quæ omnes à ℈iiij. ad ℈vi. possunt capi plus minus, pro vario usu. Possunt & formari hoc modo, ut:

℞ Rhab. Elect. ℈v.
Spicæ gr. v.

Cum syr. ros. sol. aut cum infusione Ros. sol. f. pillulæ 5. & deaurentur pro nobilibus & dentur per quinq; horas ante cibum.

Scammonea. Est scammonium cal. & siccum in tertio, quod non debet capi in usum, nisi præparatum, & tunc vocatur Diagridium, tametsi in quibusdam etiam medicamentis compositis capiatur nõ præparatum, quod mihi non admodum

dum probatur, nisi ex compositione ipsa optimè præparetur.

Diagridium autem datur ad gr. xii. sed neq; solum datur, sed potius pro stimulo & calcari aliorum, unde & in quam plurimis compositis capitur non solum pro bile purganda: Verum etiam pro aliis humoribus purgandis. Nam additum medicamentis purgantibus alios humores, auget eorum vim. Commodè potest etiam addi ad Rhab. ut ad pillulas formandas superius si addantur gr. ij. usq; ad v. ipsius Diagridij, & Masticis tantundem. Similis ratio in aliis.

Ad Humorem Melancholicum, præter ea quæ superius fuerunt proposita inter lenientia sunt & alia simpl. alia composita. Melanagoga.

Inter simplicia est lapis Armenus valdè probatus; est & lapis Lazuli cal. & sicci circa secundum ord. dantur ferè à ℈j. ad ℈ij. Est & Helleborus tum niger, tum albus. Helleborus niger maximè in usu est,

sed

sed præparatus debet capi. Capiuntur autem non quælibet partes, sed cortices ipsius Hellebori nigri in substantia quidem, ℈ß. *ad* ℈j. *Infusus autem à* ℈j. *ad* ʒj. *Albus verò quia vehementiss. est, ferè non est in usu, nisi ad vomitu vehementiss. de quo* Aëtius lib. 3.

Ad humores ustos & salsos.

Sunt & composita, ut confectio Hamech *ad humores ustos & salsos à* ʒiij. *ad* ʒvi. *Sunt & pillulæ* Indæ, *ad humores ustos & pituitosos; etiam pillulæ de Lap. Lazuli, quæ duo genera sunt satis potentia. Sunt & pillulæ de lap. Armeno satis mites. Hæ omnes dantur à* ℈iiij. *ad* vi.

In forma boli.

Sit exemplum in forma boli tale:

℞ *Elect. Lenitiv* ℥j.
Conf. hamech. ʒij.

Cum sacch. f. boli, per 5. horas ante cibum, quæ compositio potest mutari ex methodo declaratâ: Potest augeri vis ipsius, si addatur corticũ radicum Hellebori nigri præparatorum à gr. v. ad x. commodè etiã ad humores crassos expurgandos additur aliquid specierum, hieræ alicuius compositæ, ut

hieræ

hiera Pachij à ℥.ß.ad ℥j. & potest demi aliquid aliorum, ut si ex Electuario lenitivo capiatur tantum ad ℥ß.

E.g.℞. Elect.levit. ℥iiij.
Confect.Hamech.℥ij.
Sp. Hiera Pachii ℥j.
Cort.rad.Hel.nigri præp.℥ß.
Anisorum cinnam. an.gr.5.
Cum sacch.f.bolus &c.

In qua compositione proportio videtur optimè servari.

In forma verò potabili, quæ maximè laudatur, ob humoris siccitatem, & terrestritatem, præsertim in primis purgationibus, & in materia non omnino frigida, ut: *In forma potabili.*

℞ Fl.& fruct.cordial. an.parum.
Fol. senæ ℥iiij.
Anisorum ℥ß.

F.decoctio in aq. communi, vel in aqua borraginis, vel in sero lactis caprini, vel in insculo pullino s.a.

℞ Dicta decoct. q.s.
Confect. hamech.
Elect.lenit.an. ℥ß. Misce f.potio.

per 5. vel 6. horas ante cibum.

Hic pro florib. & fructibus, possunt capi quæcunq; Melancholiam respiciunt, & cordialia, ut Borrago, Buglossa, Melissa, Lupuli, fumaria, liquiritia, lactua etiam in valdè usto humore & similia, & malva. Itaq; pro sena potest capi Polypodium, Epithymum, potest augeri vis decocti, si addatur cort. rad. Elleb. nigri, à ℈j. ad ʒß. usq; ad ʒj. in corporibus valdè robustis & rebellibus. Laudantur etiam in decocto res pectorales; Methodus verò eadem erit, quæ superiùs fuit declarata in reliquis omnibus.

Et quoniam in tali humore opus est frequenti purgatione, ideò & varia forma parari debet, ut semper à levioribus ad validiora accedatur, si nihil impediat, servatâ ratione eorum, quæ superius fuerunt declarata & proportione optima, tum inter ipsa medicamenta, tum in eorum quantitate, tum etiam cum humore purgando & externis. Sunt & pillulæ, ut quæ superius fuerunt proposita, & pillulæ co-

chiæ

chiæ præparatæ cum Ellebero, quæ omnes ferè pillulæ & humores pituitosos respiciunt, qui sæpè cum dicto humore sunt coniuncti. Et hæc de purgatione præcipuè simplicium humorum.

Ad humores varios & mistos.

Medicamenta mistos humores purgantia.

Ad humores mistos methodus hæc erit, ut elegantur medicamenta propria ex methodo declarata, & deindè ad invicem comparentur, quæ tales humores peccantes respiciunt. Eligantur autem quæ apta sunt misceri. Misceantur autem hac Methodo, ut consideretur propria cuiusq; dosis, & si duo humores peccaverint, ut duo sint medicamēta præcipua. Si peccant humores æqualiter, capiatur dimidia dosis utriusq; medicamenti. Si alter humor magis peccat, medicamentū ꝓpriū illius humoris capiatur à maiori quātitate, alterū à minori servata proportione.

Si verò tres humores fuerint, etiam tria medicamenta præcipua capiantur; si æqualiter peccāt humores, tertia pars dosis cuiusq; medicamenti capiatur; si unus humor magis peccat, ēt

medi-

medicamentum proprium illius in maiori quantitate capiatur, alia verò in minori, servata proportione.

Proportio verò ea optima est, quæ vocatur multiplex; sin minus, capiatur proportio super particularis, si haberi potest; sin minus ad has proportiones, quam maximè fieri potest, accedatur.

Medicamenta autem quæ miscentur, debent optimè fermentari, atque ad unam formam redigi, & ideo debent primum optimè misceri ex arte, & per spacium aliquod detineri, & non statim exhiberi, & eò diutius debent retineri, quantò medicamenta fuerint solidiora. Nam liquidiora facilimè miscentur, quæ methodus miscendi aliqua ex parte attingitur ab Actio lib.3.cap.57. *ubi etiam in numerabilia exempla in toto illo libro proponuntur.*

Methodus hæc ex Hipp. & Gal. maximè desumpta fuit variis in locis, ut mihi pauca exempla satis futura sint, ut:

Rec. Elect. lenit. ℥vi.
Conf. Hameck.

Rhab.

Rhab. Electi.
Agar. Troch. an. ℥j.
Cinnam. Zingiberis an. ℈ß.
Cum sacch. f. bolus, per 5. hor. ante cibum.

In Forma potabili.

℞ *rerum cord. & pect. an. parum.*
Fol. senæ. sem. carthami fractorum an. ℥ij.
Cort. rad. hell. nigri ℈j.
Anisorum ʒß. F. decoctio ut supra.
℞. *d.d.q.s.*
Rhab. Electi.
Agarici Trochis. an. ʒj.
Zingiberis cinnam. an. ℈ß.
F. infusio colatio & expressio s. a. Addatur syr. de pomis compositi. Mellis Rosat. solut.
Mannæ an ℥j. ad ℥jß.
F. potio brevis, per horas 5. ante cibum. Hæc tria etiam simul ad ℥jß. vel ℥ij. singulorum faciunt in nobilibus

mediam quandam purg. diluta ex liquore simpliciori.

In Forma pillularum.

Rec. pill. cochiarum prap. cum Helleboro ℈iiij.
Rhab. Elect. ℈ij.
Cinnam. gr. 5.

Cum syr. de pomis fiant pillula 5. vel plures &c. cum ijsdem cochijs ponitur & Agaricum ad maiorem pituita purgationem ex capite. Pro pauperibus pro Rhab. poterit capi Diagridium ad gr. 5. Possunt etiam fieri pillula satis mites hoc modo:

Rec. pulv fol. sena.
Rhab. Elect.
Agarici Trochisc. an ℈ij.
Zingiberis cinnam. Masticis an. gr 5.

Cum aq. Betonica fiant pill. 5. vel plures, & deaurentur pro nobilibus. Poterunt ha fortiores fieri, si addantur stimuli vel plures, vel unus, ut corticum rad. Hellebori nigri gr. iiij. Trochis.

chisc. Alhandal. Diagridii an. gr. ij. Ita possunt variè pillulæ misceri & simplicia medicamenta, pro variis scopis ex methodo declaratâ, ut hac cuiq; studioso pro exemplis & pro instituto nostro commodè satis facere possint.

Sunt tamen & quædam aliæ formæ non ita usitatæ pro pueris, aut pro iis, qui à medicamentis abhorrent, ut in rotulis, si Rhab capiatur ad ℥j. cinnam. ℈ß. sacch. fini cum aq. rosᶠ. dissoluti ℥iiij. & ℈ß. & sacch. ad medicamentum sit quadruplum. Morsuli de Rhabarbaro.

Potest etiam capi sacch. in maiori quantitate, si æger non admittat amarorem. Saccharum autem dissolvatur cum aqua rosᶠ. vel simili, & fiant morselli. Simili modo & Agaricum cum Zingibere potest parari, possunt etiam parari rotulæ ad omnes humores, ex Rhab. Agarico, & pulv. fol. senæ, cum suis correctivis.

Eodem modo possunt etiam fieri rotulæ cum medicamentis validis, sed

in pauca quantitate, ut corticum rad. Helleb. nigri gr. x. Diagridij, Trochisci Albandal. gr. 5. Cinnam. Caryophyll. an. gr. 5. Masticis gr. x. sacch. fini cum aq. melissæ muscatæ dissoluti ℈ VIII. pro duabus vicib. aut etiam pro unâ, in corpore paulò robustiore.

Paratur & Turbith in forma solida, & vocatur Diaturbith, & reperitur maius & minus; sed minus est satis commodum & respicit præcipuè pituitam, & habetur paratum apud cordium. Simili ratione cum melle rosaceo sol. aut cũ syr. de pomis composito, aut simili ad ℥ I. vel ℥ II. possunt poni medicamenta proposita vel leniora vel validiora: ut etiam cum conservâ prunorum, quæ servatur toto anno, aut cum succo prunorum condito possunt eadem interponi, ut à sumente non perspiciantur.

Similiter cum sero lactis caprini ab ℥ VI. ad XII. pro variis scopis potest poni modicum Dragridij, ut ad ℈ ß. plus minus, & potest ocultari cum sacch.

& cin-

& cinnam. pro variis scopis & vario ægrotante; similiter cum cibis vel cum ptisana, vel cum farre, vel cum Borragine elixata possunt occultari eadem medicamenta, vel graviora vel leviora. Et præcipuè in usu est pulvis fol. senæ ad ℥j. verum in his, qui valdè abhorrent à medicamentis, validiora poterunt capi, quæ capiuntur in minori quantitate, & cum eâ quantitate & qualitate cibi redduntur leniora, ut ex Hell. nigro ad ℥j (℈j) aut ex Dragridio, aut ex Trochiscis de Alhandal. ad gr. x. plus minus pro ratione sæpius declarata, additis aromatis.

Et hoc in præsentia studiosis proposui daturus plura iis, quibus hi labores mei non erunt ingrati, Deo Opt. Max. favente.

Δόξα Θεῷ.




GIESSÆ,

Ex Officina Typographica Casparis Chemlini.



ANNO

M. DC XV.



Jessen
Plague
Toxicology
Med. Therap. (3 cards)
Mat. Med. (2 cards)
Durastantis.

